Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-116747-p0001-3

00 Wg C. e. 13

2 N. 21.
Z 2 c. 21

Arx munita nomen huj.?

li

DIVI BASILII

MAGNI EPISCOPI CAESAREAE CAPPA-
dociæ, opus argutũ ac pium De Spiritu sancto,
ad Amphilochium, DES. ERASMO
ROTERODAMO interprete.

Nunc primum & uersum & excusum.

BASILEAE, ANNO M D XXXII
Cum priuilegio Cæsareo ad sexennium.

Dum Gasparis Mayerhoferi Lauingi

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-116747-p0004-9

REVERENDO IN CHRI-
STO P. AC D. D. IOANNI DANTISCO
episcopo Culmensi, sereniss. Poloniæ regis
apud Cæsarem oratori, DES. ERASMVS ROTEROD. S. D.

AE TV MIHI TVI cupientissimo, te totum ἀγαθόνως exhibuisti Præsul ornatissime. Nam mentis ingenijq; tui simulacrum, hoc est integritatem, candorem, pietatem, eruditionemq; non uulgarẽ in carminibus epistolisq; tuis, haud secus atq; in speculo contemplari licet: oris autem habitũ, & in hoc quoq; magna ex parte relucentem animum, mire repræsentat imago gypso singulari artificio expressa: quo certe sum æquior aulicis negotijs, & isti fabulæ reuera motoriæ, quam tot iam annis agere cogeris, quæ hactenus obstitit, quo minus licuerit propius exoptatissima tua consuetudine frui coramq; uiuas audire & reddere uoces. Nondum quidẽ expletum est, sed tamen bona ex parte mitigatũ est meum tui desiderium. Verum ne nulla pensatione uideantur παλίνδρομοι αἱ χάριτες, quemadmodum tu mihi pectus

aureũ gypso expressum exhibuisti, ita tibi uicissim, scriptorem mitto, chartacea expressum materia, uere gemmeũ, nisi si quid plastæ culpa factus uidebitur deterior. Misisti τὴν πάνυ βασιλίαν, inter huius æui monarchas sine controuersia primum, ego remitto τὴν ἀληθῶς μέγαν βασίλειον, omnium suffragijs inter Græcos scriptores principem, meo quidem penicillo non in gypso, sed in charta deformatum, quàm feliciter, tuum erit iudicium, qui literaturam utranq; pulchre calles. Argumentum est De spiritu sancto, quem Arij uiperina posteritas, filio, non deo, quemadmodũ ille docuit, sed creatæ substantię ministrum adiungere conata est, ut in consessu personarum, tertium imumq; subsellium cederet spiritui. Ea quæstio per illa tempora feruebat, ut quum maxime: & ut fit, ex una excetra multis subinde capitibus enascẽtibus, ac diuersis opinionũ uentis facto turbine inter se decertantibus, ecclesiæ nauis non minus iactabatur sectarum undis, quàm hodie summo cum animi dolore iactari uidemus: nimirum altum dormiente Christo in animis hominum, quum omnium, tum eorum præcipue in quibus maxime debebat uigilare. Hoc probatissimi doctoris opus, quoniã uidebam à Gregorio Nazianzeno magnopere laudatum in monodia, nec hactenus à quoquam, quod equidem sciam, Latine uersum, eo libẽtius hoc laboris mihi sumpsi,

quod

quod ſubodorarer hiſce temporibus, furtim reuiui/ſcere conantem iam olim extinctæ uiperæ progeni/em, quæ rurſus duas perſonas, uerbum & ſpiritum, meditatur à uero dei cognomine depellere, ut iam hac in parte nihilo meliores futuri ſint Chriſtiani, quàm Iudæi aut Turcæ: qui quoties ſeſe componũt ad pietatis profeſſionem, facile patiuntur Chriſtum appellari prophetam, aut etiam deum, ſi urgeas: ſed talem, qualis fuit Moſes, cæteriq; prophetæ. Si quis indignetur Moſen æquari Chriſto, fatentur Chri/ſtum longe potioribus donis à deo locupletatum. Qui modeſtiores ſunt, fatentur ſpiritum ſanctum excellentem eſſe creaturam, ſed Chriſto famulan/tem: quibus minus eſt frontis, aiunt ſpiritum ſan/ctum nullam eſſe ſubſtantiã, ſed tantum bonæ men tis concitationem. Sed abſit, ut huiuſmodi uipera/rum ſibila quenquam afflent, in nomine patris, filij, & ſpiritus ſancti renatum. Non hic ſumam ope/ram in prædicandis Baſilij laudibus, ne audiam, τὸ τίς ἀυτὸν φέγει, non ſilebo tamen quid mihi inter uertendum acciderit. Viſus ſum mihi in hoc ope/re deprehendiſſe factum, quod in celeberrimis qui/buſq; laudatiſsimiſq; ſcriptoribus, uelut in Athana/ſio, Chryſoſtomo, & Hieronymo factũ & uidemus & indignamur. Quid iſthuc inquis? Poſteaquàm di/midium operis abſolueram citra tedium, uiſa eſt mi/

hi phrasis alium referre parentem, aliumq; spirare genium. Interdum ad tragicum cothurnum intumescebat oratio, rursus ad uulgarem sermonem subsidebat. Interdum subinane quiddam habere uidebatur, uelut ostentantis se didicisse, quæ Aristoteles in libris De enuntiatione & prædicamentis, Porphyrius in libello De quinque uocibus prædicabilibus, tradiderunt. Ad hæc subinde digrediebatur ab instituto, nec satis concinne redibat à digressione. Postremo, multa uidebantur admisceri, quæ non admodum facerent ad id quod agitur: quædam etiam repetuntur obliuione, uerius quàm iudicio: quum Basilius ubique sit sanus, simplex, & candidus, sibi constans, atq; etiam instans, nunquam ab eo quod agitur excurrens temere, nusquam diuinis mysterijs admiscens philosophiam mundanam, nisi per aduersarios coactus, idq; contemptim: sed ubique placidus ac uirgineo quodam pudore incedit, ab omni ostentatione alieniſsimus, ne in pugna quidem ab ingenij lenitate recedens. Ex his rebus subijt animum meum suspicio, studiosum quempiam, quo uolumen redderet auctius, multa intertexuisse, uel ex alijs autoribus decerpta emblemata, (Nam hoc argumentum à compluribus Græcis accurate tractatum est.) uel ex sese reperta. Sunt enim in his quædam erudita, sed à charactere Basilij discrepantia.

quædam

quædam rursus eiusmodi, ut indole referant parentem suum, uidelicet eum, qui doctissimis Athanasij libellis De spiritu sancto, suas loquaces sed elumbes attexuit nænias, quicq; in Epistolam ad Corinthios posteriorem, & in Apostolorum Acta Chrysostomus haberi studuit. Porrò, sceleratissimum contaminandi genus est, egregiorum uirorum clarissimis purpuris, suos pannos intertexere, aut ut melius dicam, generosa illorum uina, suis uapis corrumpere: quod in diui Hieronymi commentarijs, quibus enarrat Psalmos, intolerabili sacrilegio factum esse, clarius est, quàm ut negari possit. Aduersus tantam ecclesiæ contumeliam promptum erat remedium, si principes & episcopi librorum quos lectu dignos censuissent, archetypa in certis bibliothecis reponenda curassent. In his itaque uertendis fateor mihi nonnihil obrepsisse tedij, adeo ut identidem illud Maronis mecum submurmurarem,

Non alias uires, conuersaq; numina sentis?

Quum in cæteris nihil esset quod offenderet gustum meum. Sed hanc meam suspicionem nihil aliud haberi uolo quàm somnium, si tu dissenties. Sub operis calcem ueluti celeuma canens, excurrit in naualis pugnæ descriptionem, uerbis planè tragicis phaleratam, in qua mire ponit ob oculos, ecclesiæ

tum miſerabiliter fluctuantis imaginem,ſed non ita multum abhorrentem ab horum temporum ſtatu, in quibus tam cæca eſt opinionũ digladiatio, ut interdũ amicos pro hoſtibus feriamus,nec ulla ſit charitas aut concordia,ſi qua eſt ulla,niſi quam conciliauit erroris conſpiratio, hoc eſt, morbus communis: & in tanta dogmatum uarietate,in tãta morum corruptione,in tam confuſo uociferãtium tumultu, propemodum ſublato rerum hominumq; diſcrimine, merito dubitet aliquis,cui ſeſe globo adiungat. Nulla ſynceritas, ſed prodigioſa quædam calumniandi ſcabies, ne dicam rabies, habet pleroſque uel alienorum lapſuum ſæuos expenſores,uel recte dictorum malignos interpretes. Sub omni lapide ſcorpius dormit. Ex unica ſyllaba quantus tumultus incomparabili uiro ſuſcitatus eſt. Quoniam in ſolenni clauſula precationis aut concionis,pro In ſpiritu,ſemel atque iterum dixerat Cum ſpiritu, Baſilius, per omnes urbes, per omnes pagos, per omnia fora, per omnia conuenticula calumniantium uocibus lapidabatur: nec illum uel inculpata morum integritas, uel eruditio rara,cum pari facundia coniũcta, uel ipſa functionis dignitas, uel admirabilis quædam erga omnes, tum comitas,tum benignitas, à uenenatis obtrectatorum ſibilis uindicare potuerũt: ut ego optimo iure nimis delicatus uideri poſſim,ſi nullo pacto cum tali

uiro

uiro conferendus homuncio linguacium quorũdam obtrectationes perpeti non queam. Simul illud ex hoc argumento liquet quod ſcripſit beatus Hieronymus: Arianorum, Eunomianorũ, Origeniſtarũ, aliorũq; circa diuinas perſonas errores, ex humana philoſophia duxiſſe ſeminarium: nõ quod philoſophia per ſe ſit impia, ſed quod ad huius regulam cœleſtis illa philoſophia quæ uenit è ſinu patris per filiũ, nec uelit, nec debeat exigi. Qui namq; iſti, qui nihil aliud erant quàm homines, diuina myſteria poſſint perſpicere, qui ſic in pleriſq; naturæ rebus cæcutierũt? Quã quam illi qui tum diuo Baſilio faceſſebãt negocium, philoſophaſtri uerius erãt, quàm philoſophi. Apud imperitam multitudinem ſeſe pro cõſummatis philoſophis uenditabant, quod ex Ariſtotele Porphyrioq; deguſtarant uerius, quàm didicerant, quid ſit enuntiatio, quid genus, quid ſpecies, quid ſubſtãtia, quid accidens, quid quãtitas, quid qualitas, quid ad aliquid, quot modis dicantur oppoſita, quot modis aliqd uel ſit in alio, uel de alio prædicetur. Quæ nunc ſunt elementa puerorum ad philoſophiæ limen accedentium, ut iſtorum impietas magis ſit imputanda falſæ perſuaſioni, quàm philoſophiæ. Quas turbas concitaſſent in orbe, ſi illa quoq; deguſtaſſent quæ Ariſtoteles tradidit de formis ſyllogiſmorum, de demonſtrationibus, de topicis & elenchis, de naturali-

bus

bus, & ijs quæ ſunt ultra naturalia. Sed euehor longius, ut in præfatione. Itaq; ut finiam, quicquid hic eſt noſtræ opellæ, tibi dicatum eſſe uolui, Præſul amplisſime, non tantum ob id, ut tui nominis lenocinio ſtudioſis reddatur commendatius, uerum multo magis ut acri tuo iudicio, tuaq; lima fiat emendatius. Nam primam manum ad te mitto. Hic ſi quis mihi temeritatis dicam ſcribat, nihil aliud adferā ad eius criminis purgationem, quàm naturam, & hac ualentiorem diutinam conſuetudinem. Naturam refingere difficillimum eſt, ſed multo difficilius dediſcere quod diutinus uſus penitus infixit, utrāq; alteri iunctam mutare prorſus ἀδύνατον arbitror homini, Θεοὶ δέ τε πάντα δύανται. At iſthuc, inquies, eſt accuſare teipſum, potius quàm excuſare. Quid facias? Sæpenumero tamen apud clementem iudicem ueniam promeruit ingenua culpæ confeſſio. Cuius tamen partem aliquam, ſi libeat tergiuerſatorē agere, in typographos reijcere liceret, qui mihi ferè extorquent ouum antequam pepererim, & ſi quid conceptum eſt, non ſinunt fœtum matureſcere, ſed inuita Lucina cogunt per abortum eijcere. Non ignorabam quid te dignum eſſet Vir clariſsime, ſed imitatus Græculum illum, è paupere pera depromo paucos obolos, ὀλίγα τῶν ἀξίων σοῦ σεβαστὲ, εἰ γὰρ πλέονα εἶχον, πλείονα ἐδίδουν. Precor ut iſta motoria fabula,

quam

quam tot iam annos agis, ſortiatur cataſtrophen, tum tibi priuatim, tum publice regno Poloniæ fœlitem, teq; Sigiſmundus rex, ut ſi quis alius, omnibus ornamentis egregio principe dignis cumulatus, dulci patriæ, gregiq; chariſsimo, cuius ſolicitudo pietatem tuam per omnes negotiorum undas comitatur, breui reſtituat. Datum apud Friburgum Briſgoæ, pridie calendas Maias, Anno domini

M D XXXII

D. BASILII CAESARIENSIS EPISCOPI DE SPIRITV SANCTO

Liber ad sanctum Amphilochium Iconij episcopum, DES. ERASMO ROTERODAMO interprete.

Procœmium. Caput I

QVIDEM COLLAVdo in moribus tuis discēdi studium atq; industriam, supraq; modum delector ista instantia uigilantiaq; mentis tuæ, qui putas nullam uocem ex his quæ per uniuersam scripturam de deo prædicantur, oportere indiscussam relinquere, O charum mihi caput, Amphilochi, quem ego præ cæteris facio plurimi. Recte siquidem, posteaquàm audisti dominum adhortantem, Qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: postulandi instantia uidere mihi quamuis desidiosissimum ad impertiendum excitare posse. Quin & illud insuper in te exosculor, quod nequaquam, sicut hisce temporibus pleriq; faciunt, tentandi gratia proponis quæstiones, sed ut quid sit uerum inuestiges. Nam qui curiosis auribus

a mea

mea uerba captẽt, quiq; quæstiones nobis obiiciãt, horum hoc tempore magna est copia. At difficillimum est nanciſci animum diſcendi auidum, nec in aliud exquirentem quod uerum est, niſi ut ignorantiæ medeatur: propterea quod quemadmodum uenatorum laqueus, ac bellantium inſidiæ fraudem habent occulta arte ſubditam, ita complurium interrogationes inſidioſæ ſunt: qui percontationes obiiciũt, non ut ex his capiant aliquid utilitatis, ſed ut quum repererint reſponſionẽ minus facientem ad ipſorum affectũ, hanc iuſtam belli cauſam habere uideantur. Quod ſi ſtulto de ſapientia percontanti, pro ſapientia imputabitur: ſapientem auſcultatorẽ, quem propheta admirando conſultori comparat, quanti æſtimabimus? Profecto dignus est, ut non illum tãtum toto pectore cõplectamur, uerum etiam ut eos qui illi huius ſtudij conſortes, & omnium laborum ſocij ſunt ad perfectionem feſtinanti, ad uberiorem profectum prouocemus. Nam haud oſcitanter audire ſermonem de rebus diuinis differentem, ſed conari, quid in quaq; dictione, quid in quaq; ſyllaba reconditi ſenſus lateat perſcrutari, non est eorũ qui ſegnes ſunt ad pietatem, ſed qui intelligunt ſcopum noſtræ uocationis: quãdo nobis præſcriptum est, ut ſimiles efficiamur deo, ſaltem quatenus humanæ naturæ fas est. Porro ſimilitudo non est abſq; cognitione,

cogni

cognitio uero è doctrina paratur. Doctrinæ aũtem initium eſt oratio, orationis partes ſyllabæ ac dictiones. Proinde ſyllabas excutere, nõ eſt aberrare à ſcopo. Nec uero quoniam alicui uidebũtur minutæ, ob id uideri debent & negligendæ: imò quoniam difficilis eſt inuentu ueritas, undiq; nobis eſt ueſtigãda. Etenim ſi quemadmodum cæteræ artes, ita & pietatis acquiſitio paulatim minutis acceſsionibus augeſcit, nihil eſt prætermittendũ, iſs qui ad cognitionem inſtituuntur. Veluti ſi quis prima elemẽta ut res minutas contemnat, quando ad perfectã perueniet ſapientiam? Næ, & Non, ſyllabæ duæ ſunt. Attamen quæ rerum omnium potẽtiſsima eſt ueritas, & quæ extrema maliciæ linea eſt, mendaciũ, frequenter his minutis uerbis cõprehenduntur. Sed quid hæc commemoro? quum iam ſi quis uel capite annuat teſtimoniis de Chriſto prolatis, totam pietatem expleuiſſe iudicetur. Quod ſi hæc ad hunc habent modũ, quid eſſe poſsit in his uerbis quæ de deo diſserũtur, adeo puſillum, ut ſiue recte dictũ ſit, ſiue ſecus, non magnum habeat momentum in utramq; partem. Nam ſi ex lege, nec unum iota, nec apex unus præteribit, quomodo nobis tutum fuerit uel minutiſsima tranſiliſſe? At quæ tute nobis exacte dijudicanda propoſuiſti, ſic minima ſunt, ut eadẽ ſint magna: prolationis quidem compendio exigua, atq; ob id

fortaſſe contemptui obnoxia, ſed rerum ſignificatarum ui magna: ad ſimilitudinẽ ſinapis, quod quum ſit minutiſsimum inter arida legumina, ſi iuſta cura adhibeatur, explicat uim in ipſo latentem, & exurgit in altitudinem, ſuo ſe robore ſuſtẽtans. Quod ſi quis ridet noſtrã circa ſyllabas, ut Pſalmi uerbis utar, nugacitatem, ipſe quidem infrugiferũ riſus ſui fructum metat: nos uero haudquaquam cedentes hominum conuitijs, nec illorum uituperatione deiecti, ueſtigandi ſtudiũ deſeramus. Tantum enim abeſt, ut me harum minutiarũ pudeat, ut ſi etiam dignitatis uel minimam partẽ aſſequar, tum mihi gratulaturus ſim, ueluti res maximas aſſequuto, tum fratri, qui nobis huius perſcrutationis ſocius eſt, arbitrer non mediocre lucrum obuenturum. Itaq; quum in minimis uerbis conſpiciam certamẽ maximum, ſpe præmij non detrectabo laborẽ, quem arbitror hac diſputatione, tum mihi fore utilẽ, tum audientibus ſatis magnum fructũ allaturum. Quapropter cum ipſo iam, ut ita loquar, ſpiritu, ad explanationem accedam. Et ſi uis ut me in diſputationis uiam inducam, ad huius quæſtionis originem me pauliſper conuertam. Nuper oranti mihi apud populum, & utroq; modo glorificationem abſoluẽti deo ac patri, interdum cum filio ipſius ac ſpiritu ſancto, interdum per filiũ in ſpiritu ſancto: quũ alij quidã ex his qui tum aderant id obſerua

ἀδολεσχίαν

seruarant, dicentes nos non modo peregrinis ac nouis usos uocibus, uerum etiam inter se pugnantibus: tum tu præcipue, nimirum cõsulens illorum utilitati. Quod si prorsus ipsi essent insanabiles, tamen postulasti quampiam dilucidam doctrinam, de ui harum syllabarum, euulgari. Iam igitur nobis quàm fieri potest breuissime dicendum est, sermonem ab exordio quodam indubitato confessoq; sumentibus.

Vnde sit orta hæreticorum de syllabis obseruatio. Cap. II

CVRIOSA istorum hominũ circa syllabas ac dictiones obseruatio haudquaquam simplex alicui uideri possit, neq; ad mediocre tendens malũ, sed profundum habet atq; obtectum aduersus pietatem consilium. Contendunt enim ostendere dissimilem esse prolationem patris, & filij, & spiritus sancti, tãquam hinc habituri facilem probationem, eos etiam natura disiunctos esse. Habẽt enim isti uetus quoddam commentum, ab Aërio huius hæreseos principe inuentum, qui in epistolis suis alicubi scripsit affirmãs, ea quæ secundum naturam dissimilia sunt, dissimiliter proferri: ac retrorsum, quæ dissimiliter proferuntur, esse dissimilia secundum naturam. Ad huius di-

ćti confirmationem citauit Apoſtolum dicentem, Vnus deus & pater, ex quo omnia, & unus dominus Ieſus Chriſtus per quem omnia. Itaq; quemadmodum, inquit, uoces ſe habent inter ſeſe, eodem modo habebunt & rerum ſignificatarum naturæ. Sed inter ſe diſcrepant, Per quem, & Ex quo, diſsimilis eſt igitur patri filius. Ex hoc morbo, nata eſt iſtis & de propoſitis ſyllabis curioſitas: unde deo quidem & patri tanquam eximiam quandam portionem attribuunt illud, Ex quo: filio uero, & deo, aſsignarunt illud, Per quem: ſpiritui autem ſancto, illud, In quo: negantćꝫ hunc ſyllabarum uſum uſquam inuerti, ut quemadmodum dixi, ex diſcrepantia prolationis, ſimul appareat & naturæ diſcrepantia. Atqui non obſcurum eſt, eos dum de ſyllabis ſubtiliter nugãtur, impio ſermoni ſuam uim reſeruare. Siquidem his ſyllabis, Ex quo, mundi conditorem uolunt ſignificari: rurſus his, Per quem, operis miniſtrum, aut inſtrumentum: his deniq;, In quo, tempus aut locũ declarari: ut filius, qui condidit uniuerſa, intelligatur nihilo honorabilior inſtrumento: porrò ſpiritus ſanctus, nihilo plus ad res condendas momenti attuliſſe uideatur, niſi quod tempus aut locum præbuerit rebus conditis. Ad hunc autem errorem perduxit illos, etiam externæ philoſophiæ ſcriptorum obſeruatio, qui has ſyllabas, Ex quo, & Per quem,

rebus

rebus natura ſeparatis attribuerũt. Siquidem illi putant his ſyllabis, Ex quo, ſignificari materiam primam: his uero, Per quem, inſtrumentum accommodari, aut ſaltem obſequium. Sed quid uetat, toto illorum ſermone repetito, paucis arguere, quàm iſti homines non tantum dicant à uero diſsidentia, uerum etiam quàm ipſi non conſtent ſibi.

E mundana philoſophia natã eſſe deſylabis ſophiſticã diſputationem. Cap. III

QVI inani philoſophiæ dederunt operam, dum multifariam exponũt cauſæ naturam, eamq; in propria ſignificata diuidunt, alias aiunt eſſe cauſas principales, alias cooperantes, aut cõcauſales, alias ſine quibus ratio non ſubſiſtat. Atq; harũ cuiq; peculiarem etiam attribuunt appellationem, ut cauſæ uocabulo aliàs declaretur ipſe conditor, aliàs inſtrumentum. Nam conditori congruere exiſtimant illud, A quo. Aiunt enim proprie dici, à fabro factum fuiſſe fundamentum: cæterum inſtrumento conuenire illud, Per quem, quando ſecuri ac terebello, ut aiunt, reliquiſq; ſimilibus utitur faber. Similiter hanc particulam, Ex quo, illi faciunt propriam materiæ: ſiquidem è materia fit opificium. Porro particulam,

Iuxta

Iuxta quod, putant significare, animi conceptum, siue exemplar artifici propositum. Aut enim prius in cogitatione sibi depingit id quod facere destinat, ac deinde quod animo concepit, ad opus perducit: aut ad exemplar iam æditum, respiciens ad illius similitudinem, operationem dirigit. Cæterum hanc particulam, δι' ὃ, id est, propter quod, uolunt competere fini: scalas enim factas ad usum hominũ. Porrò his uerbis, ἐν ᾧ, id est, in quo, tempus aut locũ commendari. Etenim roganti quando factum est? respondetur, In tali tempore. Item percontanti ubi factum est? respondetur, In tali loco. Nam ista tametsi nihil conferunt ad id quod cõditur, tamen absq; his nihil potest fieri. Operantibus enim & loco & tempore opus est. Hæc quoniam didicerunt isti, & ut præclara mirantur quæ didicerunt, obseruationes ex frustranea philosophia, eq; inani deceptione sumptas, ad simplicem & artificij ignaram doctrinam transferunt, ut & dei filium diminuant, & spiritum sanctum reijciant: qui quidem uocem instrumentis inanimis, atq; humili prorsus ministerio tributam, loquor de syllabis, διʼ οὗ, id est, per quem, à rebus sensibilibus ad omnium rerum conditorem non ueriti sunt transferre: nec pudet homines Christianos serræ malleiq; uocabulum, uniuersæ creaturæ conditori attribuere.

Harum

Harum ſyllabarum in ſcripturis nullum ſeruari diſcrimen. Cap. IIII

NOS porrò frequẽter his uſum fuiſſe uocibus etiam ueritatis ſermonem confitemur. Haud tamẽ dicimus ſpiritus libertatem ullo modo ſeruire, iuxta ſubmiſſionem & indignitatem rerum ſenſibilium, ſed iuxta id quod ſemper adeſt, ad exprimendam rerum proprietatem uocabulis nonnihil abutimur. Neq; enim ὑφ' ἧς ἐξ, id eſt, ex quo, prorſus declarat materiã quẽadmodum illi putant, ſed uſitatiſsimum eſt ſcripturæ hoc uocabulum ad ſupremã illam cauſam accommodare. Quod genus eſt illud, Vnus deus ex quo omnia. Ac rurſum, Omnia autem ex deo. Nam uerídicus ſcripturæ ſermo frequenter utitur hac dictione de materia quoq;, ueluti quum ait: Facies arcam è lignis imputreſcibilibus. Et, Facies candelabrũ ex auro puro. Et, Primus homo è terra, terrenus. Et, E luto compoſitus es tu æque atq; ego. At iſti, ut quemadmodum diximus, in perſonis cõſtituant naturarum diuerſitatem, definierunt hanc uocem ſoli patri congruere: & huius obſeruationis ſeminarium hauſerũt à rebus externis, à philoſophis huius mũdi, tametſi nec quidem per omnia ſeruientes: ſed filio quidem iuxta præſcriptionem illorum, inſtrumenti uocabu-

1.Cor.8

Gen.6

Exod.37

1.Cor.15

lum impoſuerunt: ſpiritui uero ſancto, loci. Aiunt enim, In ſpiritu: & aiunt, Per filium: at quum deo tribuunt, Ex quo, non hic ſequuntur philoſophorum præſcriptionem, ſed ad apoſtolicam, ut aiunt, conſue
1. Cor. 1 tudinem tranſeunt. Quomodo illud dictum eſt, Ex ipſo autem & uos eſtis in Chriſto Ieſu. Et, Omnia autem hæc ex deo. Quid igitur eſt, quod ex hac argutia cõficitur? Aliam eſſe naturam cauſæ, aliam inſtrumenti, aliam loci. Filius itaq; natura diuerſus eſt à patre, quemadmodum inſtrumentum diuerſæ naturæ eſt ab opifice. Diuerſus eſt & ſpiritus ſanctus, quandoquidem locus ac tempus diuerſam habet naturam ab inſtrumentis, aut illis qui his utuntur.

Et de patre dici Per qùem, & de filio Ex quo, & de ſpiritu ſancto. Cap. V

AD hunc quidem modum ſe habẽt, quæ ab iſtis adferuntur. Nos uero demonſtrabimus, nec patrem quum ſibi ſumeret has uoces Ex quo, ad filiũ proiecisſe has Per quem: neq; rurſus filium non recipere ſpiritum in conſortium harum uocum Ex quo, aut Per quem, ſicut iſti præſcribunt: quod tamen iſtorum in
Eph. 4 anis diſtributio definit. Vnus deus & pater ex quo omnia, & unus dominus Ieſus Chriſtus per quem omnia. Hæ uoces non ſunt eius generis ut nobis le-

gem

gem præfigant,per quã aliter loqui ſit nefas,ſed quę notent perſonarũ diſcrimen.Neq; enim in hoc adhibentur,ut naturæ diuerſitatẽ inducant, ſed ut impermixtã patris ac filij notionẽ approbaret,ſic eas adhibuit Apoſtolus.Nam quod hæ uoces inter ſe cõtrariæ nõ ſint,neq; uelut in bello ſeparatæ aduerſus hoſtilem aciẽ,expugnẽt naturas ad quas acceſſerint,inde liquet, quod beatus Paulus ambas de uno & eodem ſubiecto pronunciauit, quum ait, Quoniam ex ipſo,& per ipſum, & in ipſum omnia. Quod autem hæc ad dominum referat,quiuis fatebitur,qui uel tenuiter inſpiciat mẽtem orationis.Quum enim prius Apoſtolus poſuiſſet ex Eſaia teſtimonium, Quis cognouit ſenſum domini, aut quis cõſiliarius eius fuit? ſubiecit,Quoniã ex ipſo & per ipſum & in ipſũ ſunt omnia.Quẽadmodũ de uerbo dei,à quo cõdita ſunt uniuerſa,prophetam eſſe loquutũ ex his quæ ſubijciũtur,diſcas licebit:Quis menſus eſt manu aquam, & cœlum palmo,& totam terram pugno?Quis ſtatuit mõtes libra,& rupes ſtatera?Quis cognouit ſenſum domini,aut quis conſiliarius illi fuit? Nã hæc dictio Quis,hic non prorſus id quod abſurdũ eſt,ſignificat,ſed quod rarum:uelut in hoc,Quis inſurget mihi aduerſus peruerſe agentes?Et,Quis eſt homo qui uult uitam. Et,Quis aſcendet in mõtem domini?Similiter & hoc loco dictum eſt,Quis eſt qui cognouit

Rom.11

Eſa.40

Pſal.35

Pſal.23

Ioan.3 sensum domini,& consilij illius particeps fuit? Pater enim diligit filium,& omnia ostendit illi. Hic est qui continet terram,eamq; pugno cõplexus est. Hic qui cuncta in ordinem decentem digessit,qui & montes æqualiter librauit,& mari terminos præscripsit,& omnibus quæ in mundo sunt, suum designauit ordinem. Qui totum cœlum minima suæ potestatis particula comprehendit,quem sermo propheticus figurate palmum appellauit. Vnde congruenter adiecit

Rom.11 apostolus illa,Ex ipso,& per ipsum,& in ipsum sunt omnia. Ex hoc siquidẽ ijs quæ sunt,causa ut sint manat,iuxta uoluntatem dei & patris: per eundem omnibus,ut perseuerent,consistantq;,qui condidit uniuersa,quiq; singulis quæ facta sunt ad sui conseruationẽ necessaria dimetitur. Quapropter sanè etiam uniuersa sese ad illum conuertunt,inuincibili atq; insedabili quodã desiderio,& arcano affectu,ad principem & gubernatorem uitæ respicientia,iuxta illud quod scriptum est, Oculi omnium in te sperant. Et

Psal.144 rursus,Omnia à te expectant. Et,Aperis manum tuam,& imples omne animal bonitate. Quod si aduersus hanc nostram expositionem instabũt,quæ illos ratio liberabit,quo minus euidenter in eandem recidant difficultatem. Etenim si dabunt has tres uoces, Ex ipso,per ipsum,& in ipsum omnia,nõ esse dictas de domino,omnino necessum est,ut proprie deo patri

tri attribuantur. Atq; hinc palàm conciderit illorum obſeruatio. Quãdoquidem reperitur non ſolum, Ex quo, uerum etiam, Per quem, accommodari ad patrem. Quæ uox poſterior, ſi nihil declarat humile, quam tandem ob cauſam eam uelut inferioris dignitatis aſsignant filio? Quod ſi omnino declarat miniſteriũ, reſpondeant nobis, deus gloriæ & pater Chriſti, cuius principis eſt miniſter? Igitur iſti quidem ad hunc modum à ſeipſis undiq; ſubuertũtur, nobis autem utrinq; quod firmũ eſt ſeruabitur. Etenim ſi de filio euicerimus dictum eſſe quod recitauimus, comperietur hæc particula Ex quo, in filium competere. Quod ſi quis contendat prophetiæ uerba ad deum patrem eſſe referenda, rurſus concedet hanc uocem Per quẽ, deo patri congruere: & uterq; ſermo paremuim obtinebit, eo quod pari ratione de deo uſurpatur: itaq; iuxta modum utrumq; perſpicuũ erit has particulas parem inter ſe declarare dignitatẽ, quod de una eademq; perſona uſurpatæ ſint. Sed ad id quod erat propoſitum reuertamur. Apoſtolus ſcribens Epheſijs ita loquitur, Veritatem autem loquentes in charitate, augeamus in ipſum omnia, ſiue creſcamus in ipſum per omnia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpũs dum compingitur & connecti tur, per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in mẽſura uniuſcuiuſq; membri, *Eph. 4*

Coloſ. 2 incremẽtum corporis facit. Et rurſus ſcribens Coloſ/ ſenſibus,ad quos quod non haberent unigeniti noti tiam dictum eſt,Qui tenet caput,hoc eſt Chriſtum, ex quo totum corpus per iuncturas & connexiones ſubminiſtratũ,augeſcit augmento dei. Quod Chri/ ſtus caput eſt eccleſiæ alio loco didicimus,Apoſtolo
Eph. 1 dicente, Et ipſum dedit caput ſuper omnia eccleſiæ.
Io. 1 Et Ioãnes, De cuius plenitudine accepimus omnes.
Io. 16 Et ipſe dominus, De meo accipiet,& annũciabit uo/ bis. In ſumma,ſi quis ſtudioſe loca recenſeat,perſpi/ ciet hanc particulã Ex quo, diuerſis uſurpari modis.
Luc. 8 Nam & dominus, Noui, inquit, uirtutẽ ex me exiſ/ ſe.Similiter & de ſpiritu cõpluribus locis obſeruaui/ mus poſitum eſſe Ex quo.Qui enim,inquit,ſeminat in ſpiritu,è ſpiritu metet uitam æternã. Item Ioãnes, Ex hoc cognoſcimus,quod in nobis eſt,è ſpiritu quẽ
Mat. 1 nobis donauit. Et angelus,Quod enim in ea natum
Io. 3 eſt,è ſpiritu ſancto eſt. Et dominus,Quod natũ eſt è ſpiritu,ſpiritus eſt. Atq; id quidem ad hunc habet modum. Iam uero demonſtrandũ eſt hanc uocem Per quem, pariter & de patre,& de filio,& de ſpiritu ſancto in ſcripturis uſurpari. Ac de filio ſanè ſuperua caneũ fuerit adducere teſtimonia, uel quia per ſe no/ tum eſt, uel quod hoc ipſum ab aduerſarijs ꝓbetur. His uero demõſtrabimus hanc particulã Per quem,
1. Cor. 1 etiã de patre poſitã eſſe in ſcripturis. Fidelis, inquit, deus

deus per quem uocati estis in consortium filij ipsius.
Et, Paulus apostolus Iesu Christi per uoluntatē dei. 2.Cor.1
Et rursum, Itaq; non es iam seruus, sed filius: quod si Rom.6
filius, & hæres per deum. Item illud, Quēadmodum Gal.4
surrexit Christus à mortuis per gloriam patris. Et
Esaias, Væ, inquit, qui profunde facitis consilium, & cap.30
non per dominum. Quin & de spiritu sancto multis
testimonijs doceri potest, hanc uocē prædicari. No- 1.Cor.2
bis autem, inquit, deus reuelauit per spiritum suum.
Et alio loco, Egregium depositū serua, per spiritum 2.Tim.1
sanctum. Ac rursus, Alij quidem per spiritum da- 1.Cor.1
tus est sermo sapientiæ. Eadem uero & de syllaba
In, dicere possumus, quod hanc de deo patre scriptu
ra usurparit, uelut in ueteri testamēto. In deo, inquit,
faciemus uirtutem. Et, In te laus mea semper. Et rur-
sus, In nomine tuo exultabo. Et apud Paulū, In deo, Psal.88
inquit, qui condidit omnia. Et, Paulus ac Syluanus
& Timotheus ecclesiæ Thessalonicensium in deo pa
tre. Et, Iam tandem prosperabor in uoluntate dei, ut
ueniam ad uos. Et, Gloriari, inquit, in deo. Aliaq; Philip.3
tam multa, ut difficile sit uel enumerare. At nobis
non est propositum ostētare testimoniorum multi-
tudinem, sed redargutione docere, istorum obserua-
tionem non recte habere. Siquidem hanc particu-
lam In, de domino ac spiritu sancto usurpatam esse,
tanquā per se notum, demonstrare supersedebimus.

Illud

Illud neceſſario dicendũ eſt, quod prudenti auditori ea quæ prius digeſta ſunt, ſatis habent redargutionis ex ipſa pugnantia dictorum quæ adferunt. Nam ſi prolationis diuerſitas arguit naturam diuerſam, quemadmodum iſti dicunt, nunc uoces eædem de ſingulis perſonis prædicatæ, uel pudore cogẽt eos fateri eſſentiam in nullo diſcrepãtem. Neq; enim ſolum quum de deo fit ſermo, harum uocum uſus uariat, uerum etiam ea quæ ab his ſignificantur ſæpenumero inuertuntur, quoties altera alterius recipit ſignificationem: ueluti, Poſſedi hominem per deum: inquit Adam: idem dicens, quaſi dixiſſet ex deo. Et alibi, Quæ præcepit Moſes Iſraheli per mandatum domini. Et rurſus, Nonne per deum horum manifeſtatio eſt? Ita Ioſeph loquens de inſomnijs quæ uiderat in carcere. Palàm eſt, & hunc pro eo quod erat Ex deo, dixiſſe Per deum. Et cõtrà, hæc particula Ex quo, uſurpatur pro Per quem: uelut quũ ait Paulus, Factus ex muliere. pro eo quod erat, Per mulierem. Nam id nobis alibi perſpicue diſtinxit, quum ait, fœminæ cõuenire, è uiro natam eſſe, uiro autem per fœminam, in his quæ ſic ſcribit: Quemadmodum mulier ex uiro, ita uir per mulierem. Quanquã hic Apoſtolus ſimul oſtẽdens uarium harum uocum uſum, ſimul obiter corrigens quorundam errorem, exiſtimantium domini corpus eſſe ſpirituale, ut oſtẽderet

Gen. 4

Gen. 37

Gal. 4

1. Cor. 11

carnem

carnem in Christo diuinæ naturæ unitam,ex huma no liquore concretam fuisse,maluit uti uerbo signifi/ cantiore.Nam hæ dictiones,Per mulierem,transito rium generationis intellectum erant significaturæ. At hæ,Ex muliere,sufficienter declarant communio nem naturæ genitæ cum ea quæ genuit: non quod secum pugnet Apostolus,sed ostendit has uoces fa/ cile sibi uicissim cedere. Posteaquàm igitur de qui/ buscunq; definitũ est proprie dici, Per quem, in hos ipsos trãsferri,Ex quo,quam habet probabilitatem, ad pietatis calumniam ab hac communione dictio/ nes inter sese separare.

Obsistit ijs,qui contendunt filiũ non esse cum patre,sed post patrem,ubi & de glo/ riæ æqualitate. Cap. VI

ATQVI nec ad ignorantiæ excusatio/ nem cõfugere possunt,quum tanto ar/ tificio tãtaq; peruersitate nostra dicta excipiunt, qui nobis indignãtur, quod gloriæ plenitudine unigenitũ æquamus cum patre, quodq; spiritum sanctum à filio non separamus,un de nos nouitatis architectos & nouos tractatores, ac uerborum adinuẽtores, & quibus non probrosis/ simis nominibus appellant.Quorũ conuitia tantum

abeſt ut indigne feram,ut ni nos ipſorum calamitas dolore, perpetuoq; cruciatu afficeret,propemodum dicerem me illorũ maledictis habere gratiam,ut qui
Mat.5 mihi conciliant beatitudinẽ. Beati enim,inquit,eſtis, quum probris uos impetiuerint homines, ac perſequuti fuerint,& omne uerbũ malum dixerint in uos mentientes,propter me. Porrò de quibus nobis indignantur, huiuſmodi ſunt. Non eſt,inquiunt, cum
μετὰ παιδός. patre filius,ſed poſt patrem:unde conſequitur,per fi
μετὰ πατρός lium,gloriam patri tribuẽdam eſſe,cum filio nequaquam:eo quod hæ uoces Cum filio, æqualitatẽ declarant honoris: Per filium uero,miniſterium ſignificãt. Rurſus nec ſpiritum,inquit,ſanctũ oportet cum patre & filio collocare,ſed ſub filio & patre, ut intelligatur non eiuſdem ordinis cum illis,aut eiuſdem numeri,ſed ſubditus. Atq; huiuſmodi de uerbis artificioſis argutationibus peruertunt fidei ſynceritatem ſimplicitatemq;. Proinde quam ueniam aſſequẽtur imperitiæ prætextu, qui ne alijs quidem imperitos ſe uideri patiuntur ob iſtam curioſitatem? Nos uero primum illud ab iſtis petemus, de filio quid dicant, num ſentiant illum tempore recentiorem,an ordine, an dignitate? Sed nullus adeo demẽs eſt,ut dicat cõditorem ſeculorum,quoquam eſſe tempore poſteriorem,quum nullum ſit interuallũ quod naturalẽ filij cum patre contiguitatem dirimat. At ne cogitatione quidem

quidē hominū posſit quis filiū dicere patre recentio/
rem,nō ob id modo quod ſimul intelligant iuxta na
turam eorū quæ dicuntur ad aliquid,uerū etiā quod
ea dicūtur priora,quæ lōgius abſunt à præſenti tem
pore:ueluti quæ Noe tēporibus acta ſunt,priora ſūt
ijs quæ narrant de ſubuerſis Sodomis,quod illa lon
gius diſſita ſint ab hoc tēpore:& hæc illis poſteriora,
ꝙ appareant huic tēpori uiciniora. At eius uitæ quæ
omne tēpus,& omnia ſecula ſuperat,eſſentiā metiri
diſtātia quæ interceſſit ab initio quo cœpit eſſe uſqꝫ
ad præſens tēpus,an nō præter impietatē,omnē etiā
dementiā ſuperat:ſi quēadmodū res generationi cor
ruptionicꝫ obnoxiæ,alijs aliæ priores eſſe dicunt,eū/
dem ad modū deus pater,collatus cū filio deo qui eſt
ante ſecula,ſuperat. Siquidē ut pater filio ſit anterior,
nemo queat animo ſpeculari,eo quod dñi generatio
nem nec ulla cogitatio neqꝫ ulla notio antecedat. Ioā
nes pulchre duabus uocibus cogitationē intra pręſcri
ptos terminos recluſit,cū ait,In principio erat uerbū. Io.i
Hæc enim uox,Erat, nullū cogitationi præbet exitū:
quēadmodū hæc,Principiū, nō dat trāſitū humanæ
mētis imaginationi. Quātūuis enim cogitatione cur
ras ad āteriora,nō excedis,erat. Et quātūuis inſtiteris
uidere quæ ſint ultra filiū,non poteris tamē ſuperare
principiū. Itaqꝫ piū iuxta hāc rationē,patrē ſimul cū
filio intelligere. Quod ſi imaginant,quaſi filius uelut

in loco,patre ſit humilior, ut in ſublimi ſedeat pater, dein filio humilior locus cõceſſus ſit:fateantur iſtud, & nos tacebimus, quod ipſa ex ſeſe oratio manifeſtam habet ſui redargutionem. Siquidem nec in ratiocinando ſibi conſtant, qui non cõcedunt patrem ad uniuerſa pertingere, quum eorũ qui ſani ſunt,cogitatio credat deũ impleſſe uniuerſa:neq; recordan-
Pſal.138 tur prophetæ dicentis,Si aſcendero in cœlum,tu illic es:ſi deſcendero ad inferos,ades.hæc inquã non meminerunt, qui has uoces ſuperne & inferne partiuntur inter patrem & filium. At ut nihil dicã ad redarguẽdam illorum imperitiam, qui rebus incorporeis locum attribuũt,quid erit quod excuſet impietatem, qua tam impudenter repugnant aduerſanturq; ſcri-
Pſal.109 pturis ? Quod genus eſt illud, Sede à dextris meis.
Hebr.1 &,Cõſedit in dextra maieſtatis dei.Neq; enim hæc uox Dextrum,ſignificat locum inferiorem,quod iſti prædicant,ſed ſtatũ æqualitatis,eo quod dextrũ hic non accipiatur corporaliter : ad iſtum enim modum fortaſsis & ſiniſtrũ aliquid in deo poſsit eſſe: ſed honorificis uerbis ac præſidentiam declarantibus, filij maieſtatem ſermo nobis commendat, ut iam non poſsint iſti dicere, per hanc uocem inferiorem digni-
1.Cor.1 tatis gradum ſignificari. Diſcant igitur,quod Chriſtus eſt dei uirtus, dei ſapiẽtia, dei imago inuiſibilis, & ſplẽdor gloriæ, quodq; hunc pater ſignauit deus,

ſecq;

ſeq́ totum in eo expreſsit. Hæc igitur & his ſimilia teſtimonia quæ per uniuerſam ſcripturam reperiuntur, utrum dicemus humilitatis habere ſignificationem, an ceu præconia quædã, unigeniti maieſtatem, & æqualem cum patre gloriam ebuccinari? Audiant inſuper & ipſum dominũ palàm, ſuam gloriam cum patre æqualem aſſerentem, quum ait, Qui uidit me, uidit & patrem. Ac rurſum, Quum uenerit filius in gloria patris. Et, Vt honorificent filium, quemadmodum honorificant patrem. Item illud, Vidimus gloriam eius, gloriam tãquam unigeniti à patre, plenus gratiæ & ueritatis. Rurſus, Vnigenitus filius, qui eſt in ſinu patris. Horum dum iſti nihil conſiderant, locum hoſtibus deſtinatũ, attribuunt filio. Nam ſinus paternus, ſedes eſt digna filio. Scabelli uero locus, iis conuenit, qui ſunt inferioris exiſtimationis. Nos igitur ad alia properantes obiter & in tranſcurſu attigimus teſtimonia. Tibi uero per ocium licet, collectis undiq; probationibus, gloriæ ſublimitatem, ac uirtutis eminentiam in filio perſpicere: quãquam ne hæc quidem contẽnenda ſint grato docilíq; auditori, niſi quis carnaliter & abiecte intelligat has uoces, Dextrum, & Sinum, ut & loco circunſcribat deũ, fingatq; figuram ac formam ſitumq; corporalem: quæ ab intelligentia dei, qui ſimplex eſt, qui immẽſus & incorporeus, longe ſemota ſunt. Vt omittã, quod iſtorum

Io.14 Mar.13 Io.5 Io.1 Ibidem

hæc humilis cogitatio, pariter in patrem cadit atq; in filium, ut iam non deijciat filij dignitatem, sed adiungat blasphemiæ crimen aduersus deum patrem quisquis talia differit. Quæcũq; enim ausus fuerit euomere in filium, necesse est ut eadem transferat & in patrem. Nam qui patri superiorẽ locum ad præsidendum tribuit, dicens filium humiliore sedere loco, is quæcunq; corporeis accidunt, ea omnia habiturus est suum figmentum consequẽtia. Quod si istæ imaginationes sunt uino delirantium, ac per phrenesim mente commotorũ, qui potest esse pium, filium qui natura, gloria, dignitateq; patri coniunctus est, non simul cum patre adorari & glorificari ab his qui edocti sunt, eum qui non honorificat filium, non honorificare patrem. Quid porrò dicemus? quid iustæ excusationis afferemus in cõmuni totiusq; creaturæ formidabili iudicio, si posteaquàm dominus aperte denunciauit se uenturum in gloria patris: & beatus Act. 7 Stephanus Iesum uidit stantem à dextris dei: & Paulus Heb. 1 spiritu afflatus, testificatus est de Christo quod est in dextra dei & patris, qui dixit Sede à dextris meis: deniq; quũ spiritus sanctus testimoniũ perhibeat, quod cõsederit ad dextram maiestatis dei, nos throni consortẽ, & honoris eiusdem participẽ, ab æqualitate status, ad inferiorẽ deijciamus locũ? Siquidẽ arbitror, stationem & cõsessum, naturam dei solidã & undi-

undiquaq; firmã ſignificare: iuxta quem tropum & Baruch indicare uolens deum immobilẽ & immuta cap.3
bilem ſemper eſſe,ait, Et tu ſedes in æternum,& nos perimus in æuum. Dextrum uero locũ ſignificare dignitatis æqualitatẽ. An nó igitur audax facinus eſt, filiũ paternæ gloriæ conſortio priuare, ueluti qui mereatur in loco minus honorato collocari. Sed aiunt hunc ſermonem Cum ipſo, omnino peregrinũ eſſe, & inuſitatũ: cõtrà, Per ipſum, tum ſermoni ſcripturæ familiariſsimũ eſſe, tum fratrum uſu tritum eſſe.

Aduerſus eos qui dicũt non congruẽter de filio dici Cum quo, ſed Per quem. Cap. VII

QVID igitur nos ad iſta? nimirũ beatas eſſe aures quæ non audierũt uos,& beata corda quæ cõſeruata ſunt,ne à ueſtris ſermonibus ſauciarentur. Vobis porrò qui Chriſtũ diligitis, dico, eccleſiã utrunq; harũ uocum uſum agnoſcere,neutrũq; reiẽcere,quaſi alter alterũ deſtruat. Quũ enim in unigenito naturæ maieſtatẽ,ac dignitatis excellẽtiã contẽplamur,tribuimus illi gloriã cum patre. Rurſus quũ conſideramus,quæ bona in nos contulerit, aut quomodo nos ipſos ad patrẽ adduxerit,deoq; nos aſſeruerit, cõfitemur hoc beneficiũ per ipſũ & in ipſo,peractũ eſſe in nobis:ut

altera

altera particula Cum quo,propria ſit glorificātium: altera Per quem,ſit propria gratias agentium. Quin & illud mentiũtur, hanc uocē Cum quo,ab uſu piorum alienam eſſe. Quotquot enim morum conſtantiā, antiquitatis maieſtatem,nouis ornamentis prætulerunt,ac maiorum traditionem citra mutationem conſeruarunt, ſingulis tum regionibus, tum ciuitatibus hac uoce ſunt uſi . Cæterum qui conſueta faſtidiunt,ac uetera tāquam obſoleta ſubmouent, ij ſunt qui nouas uocum fictiones recipiunt: quemadmodum qui in cultu ſtudioſi ſunt ornatus, ſemper nouam formam præferunt communi . Itaq; uideas & hodie à ruſticanis hanc uocem more ueterū pronunciari . Cæterum iſtorum uerba ſunt ex noua ſapientia inuſta, ab ipſis qui in artificio pugnisq; uerborum detriti ſunt. Proinde quod à maioribus noſtris dictum eſt, & nos dicimus, gloriam eſſe cōmunem patri cum filio, quapropter & glorificationis hymnos patri ſimul cum filio offerimus . Quāquam hoc nobis non eſt ſatis,ſic à patribus eſſe traditum, nam & illi ſcripturæ ſequuti ſunt autoritatem,ex teſtimonijs quæ paulo ante uobis è ſcriptura citauimus,ſumpta origine. Siquidē illud uerbum,ſplendor cum gloria intelligitur, & imago cum principali exēplari, & filius omnino cum patre,ut nec uerborū conſequentia,neq; rerum natura admittat ſeparationem.

Quot

Quot modis intelligatur hæc particula Per quem, & in quo sensu congruentius dicitur Cum quo: ubi simul exponitur, quomodo mandatū accipit filius, & quomodo mittitur. Cap. VIII

ITAQVE quum Apostolus gratias agit deo per Iesum Christū, ac rursus quum ait sese per illū accepisse gratiam & apostolatum ad obediētiam fidei in omnibus gentibus, aut quum dicit nos accessum habere ad gratiam hanc in qua sumus & gloriamur, illius erga nos beneficentiam commendat: nunc quidem ut à patre bonorum gratiam in nos transfundentis, nunc rursum ut per seipsum conciliantis nos patri. Siquidem quum ait, Per quem accepimus gratiam & apostolatum: significat bonorum subministrationem ab illo proficisci. Rursum quum ait, Per quem accessum habemus, quod recepti sumus, ac familiaritatem cum deo consequuti: id per Christum esse procuratum declarat. Num igitur confessio gratiæ per Christum in nobis operantis, diminuit illius gloriā? An potius dictu uerius fuerit, enarrationem beneficiorum, decens esse argumentum glorificandi filium? Hanc ob causam comperimus scripturā non uno tantum uocabulo nobis significare dominum.

Rom. 5

Rom. 5

nec his tantum quæ diuinitatem ac magnitudinem eius declarant, sed interdum uti uocibus naturam assumptam exprimentibus. Nouit enim nomen filij, quod est super omne nomẽ, & filium uerum dicere, & unigenitum dei, & uirtutem dei, & sapientiam, & uerbum. Rursus, ob multiplicem in nos beneficentiam, quam ob diuitias bonitatis, iuxta uariam suam sapiẽtiam egentibus præstat, alijs innumeris appellationibus eundem designat, dum aliquando uocat illum pastorem, aliàs regem, interim & medicum, deniq; spõsum, uiam, ostium, fontem, panem, securim, ac petram. At ista non declarant naturam, sed quemadmodum modo dicebam, uarietatem modis omnibus in nobis operantis, quàm ex affectu quem gerit erga suum figmentum, ut cuiq; opus est impartit. Eos enim qui ad illius ditionem confugerunt, quiq; per malorum tolerantiam communicãdi facilitatem præstiterũt, oues appellat: seq; talium pastorem esse profitetur, qui uocẽ ipsius audiunt, nec attendunt doIo.10 ctrinis peregrinis. Oues enim meæ, inquit, uocem meam audiunt. Rex autem uocatur eorum, qui iam transgressi sunt, legitimaq; castigatione opus habẽt. Ostium dicitur, eo quod per rectitudinem præceptorum educit ad pias actiones, ac rursus tuto perducit in caulas, eos qui per fidem in ipsum ad cognitionis Ibidem bonum confugerint. Vnde, Per me, inquit, si quis introierit

troierit & ingredietur & egredietur ac pascua inue/
niet. Petra dicitur,eo quod ualidũ sit & incõcussum, 1.Pet.2
& quauis arce tutius propugnaculum ipsi fidẽtibus. 1.Cor.10
In his,hæc uox Per ipsum,aptissimum ac significan
tem usum habet,quoties ita proferẽ quasi dominus
sit ostium,quasi pastor,quasi uia. Cæterum tãquam
deus,ac dei filius,cum patre communem habet glori
ficationem. Quoniã in nomine Iesu omne genu fle/ Phil.2
ctetur,cœlestium,terrestrium,& infernorum, & om/
nis lingua cõfitebitur,quod dominus sit Iesus Chri/
stus in gloriam dei patris. Quas ob res ambabus uo
cibus usi sumus,altera propriam illius dignitatem,al
tera eius erga nos munificentiã prædicantes. Quum
enim per illum sit omne præsidiũ animabus nostris,
iuxta quanq; auxiliandi speciem, excogitata est pe/
culiaris quædam appellatio. Veluti quum sibi ani/
mam incõtaminatam non habentem maculam aut
rugam,quasi puram uirginem adiungit, sponsus ap
pellatur. Quum eam male sauciam uulneribus dia/
boli, grauiterq; laborantem è peccatis,suscipere di/
gnatur,medicus uocatur. Vtrũ igitur quod hisce mo
dis nostri curam gerit,cogitationes nostras eò dedu
cet,ut humilius de eo sentiamus, an potius è diuerso
efficiet,ut seruatoris & potentiam & humanitatẽ er/
ga nos admiremur, qũod & compati nostris infirmi
tatibus sustinuit, & ad nostram infirmitatẽ sese de/

mittere. Neq; enim cœlũ ac terra, immensaq; maria, nec animantia, uel in aquis, uel in terris degentia, nec plãtæ, nec astra, nec aer, nec horæ, nec multiplex uniuersi ornatus, excellentiam potentiæ illius nobis perinde commendat, atq; quod deus incomprehensibilis, sic per carnem cum morte conflictatus est, ut ipsa diuinitas nihil pateretur, quo nobis sua morte largiretur immortalitatem. Item quum ait Apostolus, In
Rom.8 his omnibus superamus, per eum qui dilexit nos: nequaquam hac uoce humile quoddam ministeriũ indicat, sed auxilium potius, quod per imperiũ suæ potentiæ operatur in nobis. Siquidem ipsum alligauit fortem, diripuitq; uasa illius, uidelicet nos, quibus ad omnia mala opera fuerat abusus, fecitq; uasa utilia domino, apparatos ad omne opus bonũ, ob promptitudinem illius quod erat in nobis. Hoc pacto ac-
Eph.2 *Rom.5* *Colos.1* cessum habemus ad patrẽ, quem ille nobis parauit, translati de potestate tenebrarum in sortem sanctorum in lumine. Ne igitur ob filij dispẽsationem, seruilem humilitatem, aut coactum obsequium imaginemur: sed intelligamus uoluntariam solicitudinem, ex bonitate ac misericordia iuxta uolũtatem dei patris, erga suum figmentum operantem. Sic enim pietatem seruabimus, si & perfectam illi potentiam testimonio nostro tribuemus, & nequaquam in omnibus quæ perfecta sunt, filium à uoluntate paterna separa.

parabimus. Quemadmodũ igitur quoties dominus Io.14
appellatur uia, ad ſublimiorem intelligẽtiam potius
quàm ad uulgarem, atq; è medio ſumptã, animo fe/
rimur. Audientes enim uiam, ſeriem & ordinẽ intelli
gimus per opera iuſtitiæ, perq; illuminationẽ ſcien/
tiæ ducentem ad legitimum profectũ, ſemper ad an
teriora feſtinãtes, & ad ea quæ reſtant noſmetipſos
extendentes, donec perueniamus ad beatum finem,
quæ eſt dei cognitio, quã dominus per ſeſe in ipſum
credentibus largietur. Reuera enim bona eſt uia, ex/
orbitationis erroriſq; neſcia, dominus noſter Ieſus,
ad patrem qui uere bonus eſt perducens. Nemo, in/ Io.6
quit, uenit ad patrem niſi per me. Talis eſt noſter ad
deum reditus per filium. Porrò qualis ſit patris erga
nos per eundem bonorũ ſuppeditatio, deinceps erit
diſſerendum. Omnis naturæ, tum in hac creatura ui/
ſibili, tum in intelligibili, ad hoc ut conſiſtat, dei cura
egentis, cõditor eſt ſermo, uidelicet unigenitus deus,
quantũ cuiq; opus eſt opem diſtribuens. Varia qui/
dem & omnis generis auxilia, ob uarietatem eorum
qui beneficio iuuantur, unicuiq; tamen cõgrue iuxta
neceſsitatis modum, auxilia dimetitur. Eos qui in te/
nebris ignorantiæ detinẽtur, illuminat: propterea lu/
men uerum dicitur. Iudicat, iuxta operũ dignitatem
remetiens præmium, ob id iudex iuſtus dicitur. Pa/ Io.5
ter enim neminem iudicat, ſed omne iudicium dedit

filio. Erigit è ruina, qui è ſublimitate uitæ ad peccatũ
Lo.11 delapſi ſunt. Ob id uocatur reſurrectio. Omnia au-
tem facit, contactu uirtutis, ac uolũtate bonitatis ope
rans. Paſcit, illuminat, alit, deducit, medetur, erigit.
Quæ non ſunt, ea facit ut ſint, condita cõſeruat. Hoc
modo bona ex deo per filium ad nos perueniũt, ma
iore celeritate in ſingulis operantem, quàm ullus ſer-
mo ꝓferri ualeat. Neq; enim fulgura, neq; lucis per
aerem tam uelox diſcurſus eſt, non oculorum celeres
ictus, nõ ipſius intellectus noſtri motus: ſed horum
quodq; magis uincitur diuinæ operationis celerita-
te, quàm animantia quæ ſunt apud nos maxime ſe-
gnia, non dicam uolatilium, neq; uentorum, neq; cœ
leſtium orbiũ impetu, ſed ipſius mentis noſtræ mo-
tũ ſuperãtur. Nam quo tandẽ temporis ſpatio egeat
qui gubernat omnia uerbo ueritatis ſuæ, quiq; nec
corporaliter operatur, neq; manuũ opera ad fabricã
dum opus habet, ſed eorum quæ fiunt naturam ha-
bet inuiolabili potentiæ obſequẽtem. Sicuti Iudith,
cap.9 Cogitaſti, inquit, & præſto ſunt tibi omnia quæ co-
gitaſti. Attamen ne fortè ex magnitudine eorũ quæ
fiunt, rapiamur in imaginationẽ, ut putemus domi-
num nullam habere originem, quid ait is, qui per ſe
Io.6 uita eſt? Ego uiuo propter patrẽ. Et, dei uirtus, Non
poteſt, inquit, filius à ſe facere quicquam. Rurſus, is
Io.14 qui ex ſe perfecta eſt ſapientia, Mandatum, inquit,

accepi

accepi, quid dicã,& quid loquar: per hæc omnia du/
cens nos ad patris cognitionem, & admirationẽ eo/
tum quæ gerebat,ad illum referens,ut per ipsum co/
gnoscamus patrem. Neq; enim ex operum differen
tia pater intelligitur propriã ac separatã à filio ope/
rationem ostendere:quæcunq; enim uiderit patrem
facientẽ,hæc & filius similiter facit: sed ex gloria quã
unigenitus defert patri,miraculũ operum colligitur,
dum præter operum magnitudinẽ,de ipso etiam au
tore operum gloriatur, & exaltatur ab ijs qui agno/
scunt eum patrem domini nostri Iesu Christi, per
quem omnia,& propter quem omnia. Ideo dicit do
minus,Omnia mea tua sunt,tanquam ad ipsum ori Io.17
go rerum cõditarum referenda sit: & tua mea, quod
ipsi à patre condendi autoritas prouenit: non quod
pater ad operandum filij auxilio sit usus, neq; quod
ipsi particularibus mandatis uniuscuiusq; operis mi
nisterium commissum sit: nam istud quidem seruile
est,& à diuina dignitate immẽso semotum interual/
lo:sed quod uerbum plenum paternis bonis à patre
resplendens,omnia facit ad similitudinẽ eius qui ip/
sum genuit. Nam si iuxta essentiã nihil differt à pa/
tre,nec potẽtia à patre differt. Porrò quorum æqua/
lis est potentia,horum æqualis est & operatio. Chri
stus siquidem dei uirtus est,& dei sapiẽtia. Et sic om/ 1.Cor.1
nia per ipsum facta sunt, omniaq; per ipsum cõdita

sunt

sunt, non quod instrumentali quodam ac seruili ministerio fungatur, sed quod tanquam cõditor paternam implet uoluntatem. Itaq; quum ait, Ego ex me ipso loquutus nõ sum. Et rursum, Sicut præcepit mihi pater, ita loquor. Et, Sermo quem auditis non est meus, sed eius qui misit me. Et alibi, Et quemadmodum mãdauit mihi pater, sic facio, Non quod caruerit libero proposito, ac uolũtatis impetu, neq; quod ex signis ab imperante datis occasionem expectarit, ideo talibus utitur uerbis: sed ut declaret suam mentem per naturæ unitatem, & indiuulsum consensum, cum patre cõiunctã esse. Proinde quod dicitur, mandatum, ne sermonem imperiosum per uocalia organa prolatum intelligamus, filio uelut obedienti præscribẽtẽ, quid facere debeat. sed iuxta sensum deo digNum intelligamus, uoluntatis traditionẽ, instar formæ cuiuspiam in speculo relucentis, à patre in filium sine tempore demanãtem. Pater enim diligit filium, & omnia ostendit illi. Itaq; quæcunq; habet pater, filij sunt, non quod hæc illi paulatim accrescant, sed adsint semel uniuersa. Non enim inter homines, qui artem perdidicit, ac diutina exercitatione firmum artis in animo fixumq; habitum gerens, ilico potest iuxta sciẽtiæ rationes quas in mente tenet per sese operari. At dei sapientia, uidelicet architectus uniuersæ creaturæ, semper perfectus, & citra doctorẽ sapiens, dei

Ioan. 14
Ioan. 12
Ioan. 14
Ioan. 3

dei uirtus,in quo sũt omnes thesauri sapiẽtiæ & scien tiæ occulti,non eget particulari præscripto,quod ipsi modum ac mẽsuram operationis præfiniat. Scilicet tu quidem etiam pædagogeũ aperies in uanitate co gitationum tuarum, & hũc quidem facies præsiden/ tem loco doctoris,illum uero astãtem cum discipuli imperitia:dein paulatim additis præceptionibus di/ scentem sapientiã,donec promoueatur usq; ad perfe ctionem. At ex hoc,si modo noueris consequentiam quæ est in dictis obseruare, inuenies filiũ semper di scere, nec unquã ad finem peruenire posse, eo quod infinita sit patris sapiẽtia, nec infinitæ rei finis possit apprehendi. Itaq; qui non cõcesserit,filium ab initio habere omnia,nunquã concessurus est illum ad per/ fectionem peruẽturum. Sed pudet istius humilis co gitationis, in quam è sermonis tenore paulatim de/ ductus sum. Igitur ad sublimitatẽ uerbi reuertamur. Qui uidit me,uidit & patrem:non figuram,non for/ mam,pura enim est ab omni cõpositione diuina na/ tura:sed uidet bonitatem uoluntatis,quæ simul cum essentia currit,similis illi atq; æqualis:quin,ut melius dicam,eadem in patre quæ in filio intelligitur. Quid igitur sibi uult illud, Factus obediens usq; ad mor/ tem? Itẽ illud,Pro nobis omnibus tradidit seipsum? Quoniam hoc à patre habuit,ut iuxta suam bonita tem operaretur pro hominibus. Tu uero & illa audi

Io.14

Philip.2

Eph.5

Gal.3 to: Christus nos exemit de maledicto legis. Item,
Rom.5 Quum peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Diligenter autem obserua uerba domini, quod quum nos de patre erudiret, nouit authenticis
Mar.1 & herilibus uti uocibus, Volo, mũdare. Et, Tace, ob-
Mar.4 mutesce. Et, Ego autem dico uobis. Et illud, Mutum
Luc.4 & surdum dæmoniũ ego tibi præcipio: & si qua sunt
Mar.9 huius generis alia. Vt ex his quidem dominũ & conditorem nostrũ cognosceremus, per illa uero patrem domini & cõditoris nostri disceremus. Ita sermo undiquaq; uerax demõstrat patrem creare per filium, ut nec patris imperfecta sit creatio, nec eneruis filij operatio, sed duorum unam eandemq; uoluntatem declarat. Itaq; hæc uox per quem confessionem habet causæ principalis, non autem sumitur ad proloquium causæ efficientis.

Definitiuæ sententiæ de spiritu, doctrinæ scripturarum congruentes, & quod spiritus est dominus. Cap. IX

IAM uero etiam de spiritu sancto communes nostræ sententiæ cuiusmodi sint expendamus, tum eas quæ nobis de illo è scripturis collectæ sunt, tũ eas quas patrum traditione sine scripto accepimus. Primum igi-

tur

tũr qui audiuit appellationes ſpiritus, erigitur ani/
mo, & ad ſupremam naturam cogitationẽ attollit.
Nam ſpiritus dei dictus eſt, & ſpiritus ueritatis, qui
ex patre procedit. Spiritus rectus,principalis.Spiri/
tus ſanctus, quæ poſtrema propria eſt illius ac pecu
liaris appellatio.Quod ſanè nomen omnium maxi/
me declarat id quod eſt incorporeũ, & ab omni ma/
teria purum, atq; incompoſitum declarat. Quapro/
pter & dominus,ut animum qui putat deum in loco
adorandum,doceat eum incomprehenſibilem & in/
corporeum eſſe:Spiritus,inquit,eſt deus.Proinde fie
ri non poteſt, ut qui audit ſpiritus, naturam loco cir/
cunſcriptam,aut mutationibus & alterationibus ob/
noxiam, aut omnino creaturæ ſimilem imaginatio/
ne imprimat mẽti ſuæ:ſed ad id quod ſummum eſt
cogitatione proficiſcens, intelligibilem ſubſtantiam
cogitet neceſſe eſt, uirtute infinitã, magnitudine in/
circunſcriptam,nec temporum nec ſeculorum dimen
ſionẽ recipiẽtem, nemini bona quæ habet ipſa,inui/
dentem:ad quam omnia conuertũtur quæ egent ſan
ctificatione,quam omnia appetunt iuxta uirtutẽ ui/
uentia,cuius afflatu uelut irrigantur & adiuuãtur, ut
perueniant ad proprium ſuum naturalemq; finem:
ſic perficientem cætera, ut ipſe in nullo deficiat: non
aliunde parta uita uiuentem, ſed qui ſit ipſe uitæ lar/
gitor:nec acceſſionibus augeſcentem,ſed plenum,re/

ctum, in seipso collocatum,qui nusquam non adest: sanctificationis parentem: lucem intelligibilem,uniuersæ potentiæ rationali, ad ueritatis inuestigationem,uelut illustrationem quandam ex sese præbentem: natura inaccessum,sed qui capi possit ob benignitatem:omnia quidem implẽtem uirtute,sed solis ijs qui digni sunt communicabilẽ, quibus sese nõ eadem impertit mẽsura,sed iuxta portionem fidei dispertitur uim suam.Simplicem iuxta essentiã,sed potentijs uarium:qui singulis totus adest, & totus ubiq; est:qui sic diuiditur, ut nihil ipse patiatur:cuius sic omnes participes sũt,ut ipse maneat integer,radiolaris in morem,cuius beneficium sic adest ei qui fruitur,quasi soli adsit,quum & terrã illustret & mare,& aëri misceatur:itidẽ & spiritus sanctus,unicuiq; capacium quum adsit quasi soli,omnibus sufficientem & integram gratiam infundit, quo fruuntur quæcunq; de illo participant,non quãtum ipsa sua natura possunt capere,sed quantũ potest ille. Porrò cõsortium cum spiritu non constat loci propinquitate:nam quis fiat,ut ad incorporeũ corporaliter accedas? sed à cupiditatibus recessu, quæ post accesserũt animæ propter amicitiam erga carnem,& à dei cõsortio alienarunt. Itaq; purgata à probro quod eam per malicia contaminarat,& ad natiuam pulchritudinem reuersa, ac uelut imagine regia ueterem formam puritate

red

reddens, hoc uno demum modo poteſt ad paracle/tum appropinquare: ille porrò,ueluti ſol,purum na/ctus oculum oſtendet tibi in ſeipſo imaginem illius qui uideri non poteſt. In beata autem huius imagi/nis contemplatione, uidebis ineffabilem archetypi pulchritudinẽ: per hunc corda ſuſtolluntur in altum, manu ducuntur infirmi,proficientes perficiũtur. Hic eis qui à tumultu cupiditatũ purgati ſunt illuceſcens, per communionem quam cum ipſo habent,ſpiritua les reddit. Et quemadmodum corpora illuſtria per/lucidaq́;,contacta radio ſolis, fiunt & ipſa ſupra mo dum ſplendida, & alium fulgorẽ ex ſeſe profundũt: ſic & animæ ſpiritu afflatæ,ac ſpiritu illuſtratæ,fiunt & ipſæ ſpirituales,& in alios gratiam emittunt.Hinc futurorum præſcientia,arcanorum intelligẽtia,occul/torum comprehenſio,donorum diſtributiones,cœle ſtis conuerſatio, cum angelis chorea : hinc gaudium nunquam finiendum, hinc in deo perſeuerãtia, hinc ſimilitudo cum deo,& quo nihil ſublimius expeti po teſt, hinc eſt ut deus fias. Communes igitur noſtræ ſententiæ de ſancto ſpiritu,quas de magnitudine di gnitateq́; illius, deq́; operationibus,ab ipſis ſpiritus eloquijs ſentire didicimus, ut è multis paucas attule/rimus,ſic habent. Nunc ad contradicẽdi cupidos ue/niendũ eſt,conabimurq́; illorũ obiectiones refellere, quas è falſi nominis ſcientia nobis proponunt.

Aduersus eos qui dicunt non oportere patri & filio adiungere spiritum sanctum. Cap. X

NON oportet,inquiunt,patri & filio adiungere spiritũ sanctũ, partim eo quod sit alienæ naturæ, partim quod dignitate sit inferior. Quibus æquũ est,ut apostolorum uerbis respondeamus: Deo oportet obedire magis quàm hominibus. Nam si dominus aperte in tradendo salutifero baptismate præcepit discipulis,ut baptizarent omnes gentes in nomine patris & filij & spiritus sancti: haud dedignatus cũ illo consortium:contrà isti dicunt,non oportere spiritum patri filioq; coniũgere:an non dei præcepto palàm adversantur? Etenim si dicant huiusmodi coniunctionem non declarare ullam communionẽ, aut consortium,proferant, quid igitur hoc existimandũ est,aut quam aliam adferunt magis peculiarem consortij rationem. Alioqui si dominus sibi & patri non adiunxit spiritum in baptismo, ne nobis uitio uertãt quod eos coniungimus. Nihil enim nos ab illo præscripto diuersum neq; sentimus neq; loquimur. Quod si illic coniunctus est patri & filio spiritus,nec quisquam est adeo impudens, ut quicquam aliud dicat,nec sic quidem nos in ius uocẽt, si scripturas sequimur. Sed apparatus belli aduersũ nos instructus est,omnisq; cogi

Act.4

Mar.16

cogitatio in acie cõſtitit, & linguæ maledicorum hic multo uehementius iaculant, quàm Iudæi, qui Chriſtum occiderant, olim lapidibus impetierũt Stephanum. Verum illud ne lateat iſtos, nos quidẽ eſſe belli occaſionem, cæterũ negocium reuera ad excelſum ſpectare. Itaq; in nos quidẽ machinas & inſidias inſtruunt, ſeq; mutuo exhortantur ad ferendas ſuppetias, ut quiſq; peritia aut robore ualet: cæterum id quod oppugnatur, fides eſt, iſq; ſcopus cõmunis eſt omnibus, ut ſoliditatẽ fidei in Chriſtum labefactẽt, apoſtolicam traditionem ſolo æquatam abolendo. Eapropter ſicuti ſolent æris alieni debitores qui ſanè cordati ſunt, pbationes è ſcriptura clamore exigunt: patrum teſtimonia, quæ ſcripto prodita non ſunt, uelut nullius momenti reiiciunt. At non deſeremus ueritatem, neq; per ignauiã ab illi ferendis auxilijs deſiſtemus. Etenim ſi dominus nobis ut neceſſariũ ac ſalutare dogma tradidit, ſpiritũ cum patre coniungendum eſſe, his autem ſecus uidetur, ſed diuidere ac diſtrahere uolũt ſpiritum, & ad ſeruilem naturam detrudere, an non uerum eſt, apud illos blaſphemiam ipſorũ plus habere ponderis, quàm domini præſcriptum? Agedum igitur omni contentione depoſita, ita denuo de his quæ ſunt in manibus cõſideremus. Chriſtiani unde nos? Vtiq; per fidẽ, dicet quilibet. Seruamur autem, quo modo? Nimirum regenerati

per

per gratiam quæ confertur in baptiſmo. Nam unde alioqui? Et poſtea quum ſciamus hanc ſalutem per patrem & filium & ſpiritum ſanctum certo promitti,num doctrinæ formam quam accepimus abijcie/mus? Id profecto multis dignum ſuſpirijs fuerit, ſi comperiamur nunc lōgius abeſſe à ſalute noſtra, q̄ꝫ tum quum credidimus. Etenim ſi quod tunc recepi/mus,nūc abnegamus, non minus dāni fuerit, quàm ſi quis expers baptiſmatis decedat:aut ſi in uno quopiam eorū quæ à Chriſto tradita ſunt deficiens, baptiſmum accipiat:& profeſsione quam in prima inſtitutione depoſuimus,quum liberati à ſimulacris acceſsimus ad deum uiuum,qui nos in omni tempore, perq̄ uitam omnem ſua ui conſeruat,tanquam tuta cuſtodia cinctus, ſeipſum alienum reddat à promiſſis dei, ſuo ipſius chirographo repugnans, quod in profeſsione fidei depoſuit. Nam ſi uitæ initiū eſt baptiſmus,ſiq̄ dierum omnium primus eſt dies regenerationis, perſpicuum eſt & uocem illam omnium precioſiſsimam eſſe mihi, quæ in adoptionis gratia prolata eſt.Ita ne traditionem quæ me perduxit ad lucem ac dei cognitionē largita eſt,per quam factus ſum filius dei, qui paulo ante propter peccatū eram hoſtis,deſeram ſeductus iſtorum probabilibus ſermonibus? Quin potius illud mihi precor, ut cū hac profeſsione contingat hinc decedere ad dominum.

Et ipſos

Et ipsos hortor, ut inuiolatam seruent fidem usq; ad diem Christi, & indiuulsum à patre & filio custodiant spiritum sanctum, quam doctrinā in baptismate receperunt, & in professione fidei atq; in persolutione plenæ gloriæ perseuerent.

Præuaricatores, qui negant spiritum. Cap. XI

VAE: Cui afflictio, cui angustia ac tenebræ, cui sempiterna condemnatio? Nonne præuaricatoribus? Nonne ijs qui fidem abnegarunt? Sed unde probantur abnegasse? Nonne hinc, quod suam ipsi professionem irritam fecerunt? Quid autē professi sunt, aut quando? Professi sunt se credere in patrem & filium & spiritum sanctū, quum renunciātes diabolo & angelis eius salutiferam illam uocem ædiderunt. Quod igitur istis dignum uocabulum repertum est à filijs lucis? Nonne perfugæ ac præuaricatores appellantur, ut qui sua salutifera pacta uiolarint. Quo igitur nomine uocem eum qui deū abnegauit, eum qui Christum abnegauit? Quonam alio, quàm præuaricatoris ac desertoris? At ei qui negauit spiritum, quod me uis nomen imponere? Nonne hoc idem? quippe qui pactum cum deo initum uiolarit? Ergo quum professio fidei in deū, pietatis beatitudinem nobis conciliet, contrà abnegatio, crimini abnegati

dei faciat obnoxios,an non horrẽdum eſt hanc profeſsionem nunc irritam facere, non ignem, non gladium,non crucem,non flagella,non rotam, non tormenta metuentes, ſed ſolis ſophiſmatibus ſeductionibuſq; iſtorum qui ſpiritui rebelles ſunt,impulſos?
Gal.5 Teſtificor omni homini,Chriſtum profitenti,ſed & eum neganti,quod Chriſtus nihil illi proderit,nec ei qui deum quidẽ inuocat, ſed Chriſtũ ſpernit, quod inanis eſt fides illius.Similiter ei qui ſpiritum reiicit, teſtificor quod fides eius qua profitetur patrem & filium, inanis erit, quam nec habere poteſt, niſi ſimul
Ioan.3 adſit ſpiritus.Non enim credit in filiũ,qui non credit ſpiritui ſancto:nõ credit in patrẽ,qui non credit filio.
1.Cor.12 Nec enim poteſt dicere dominus Ieſus,niſi in ſpiritu
Io.1 ſancto.Et, Deum nemo uidit unquã,ſed unigenitus filius,qui eſt in ſinu patris, ipſe nobis enarrauit.Inſuper talis expers eſt ueræ adorationis.Neq; enim fieri poteſt,ut quis filiũ adoret niſi in ſpiritu ſancto,aut ut patrem inuocet,niſi in adoptionis ſpiritu.

Aduerſus eos qui dicunt ſufficere baptiſma tantum in nomine filij. Cap. XII

NEMINEM uero debet offendere illud Apoſtoli, quod nomẽ patris,& ſpiritus ſancti mentionem,in baptiſmatis commemoratione frequenter omittit: neq;

ideo

ideo putet harum uocum usum esse indifferentem.
Quicunq;,inquit,in Christum baptizati estis, Chri/ Gal.3
stum induistis.Quicunq; in Christo baptizati estis, Rom.6
in mortem illius baptizati estis.Siquidē Christi ap/
pellatio, totius deitatis est professio: quippe quæ si/
mul declarat & deum qui unxit,& filium qui unctus
est,& spiritum sanctum qui est unctio:quemadmo/
dum à Petro in Actis didicimus, Iesum Nazarenū, cap.4
quem unxit deus spiritu sancto.Item in Esaia,Spiri/ cap.61
tus domini super me, eo quod unxit me. Et psalmi/
cus ille cātor,Propterea unxit te deus deus tuus oleo Psal.44.
exultationis, ultra participes tuos. Videtur attamen
interdum & spiritus tantū in baptismate feciſſe men
tionem Apostolus, Omnes enim,inquit,in uno cor/ 1.Cor.12.
pore, & in uno spiritu baptizati sumus . His & illud
consonat, Vos baptizabimini in spiritu sancto.Rur/ Act.1
sum,Et ipse uos baptizabit in spiritu sancto.At non
ideo quis dixerit perfectum esse baptisma,in quo so
lum spiritus nomē inuocatum est. Oportet enim in/
uiolabilem manere traditionem,quæ in uiuifica gra/
tia data est: eo quod qui liberauit de corruptione ui/
tam nostram,potestatem nobis renouationis dedit:
quæ potestas,causam habet ineffabilem,& in myste
rio recōditam,sed magnam animabus salutem con/
ferentem,ut quicquā addere aut detrahere,planè sit
ab æterna uita excidere . Proinde,si in baptismo se/

parare ſpiritũ à patre & filio, ut periculoſum eſt baptizanti, ita baptiſmum accipienti inutile, quomodo nobis tutum fuerit, à patre & filio diſtrahere ſpiritũ? Fides, ac baptiſma, duo ſunt modi parandæ ſalutis, inter ſe cognati, & inſeparabiles. Nam fides perficitur per baptiſmũ, baptiſmus uero fundamento fidei nititur, & utraque res per has uoces impletur. Sicut enim credimus in patrem & filium & ſpiritum ſanctum, ſic & baptizamur in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Ac præcedit quidem profeſſio ad ſalutem perducens, ſequitur autẽ baptiſma, cõſignans pactum noſtrum.

Quare apud Paulũ, angeli ſimul cum patre & filio adiunguntur. Cap. XIII

AT alia, inquiũt, quæ ſimul patri & filio annumerantur, non ideo per omnia ſimul cum illis glorificãtur. Veluti quum Apoſtolus obteſtans Timotheum angelos ſimul adducit, dicens, Obteſtor te in cõſpectu dei, & Chriſti Ieſu, & electorum eius angelorũ: quos tamen non ſeparamus à reliquis creaturis, neq; ſuſtinemus eos patri & filio annumerare. Ego uero tametſi hic ſermo nulla dignus eſt confutatione, tam manifeſtam præferens abſurditatem: tamen illud dico, quod

1. Tim. 5

quod cõseruum etiam testem aliquis adducere possit apud mansuetũ ac placabilem iudicem, quiq; maxime per æquitatem erga reos iuste iudicandi irrefutabilem rectitudinem declararit. Cęterum ut aliquis fiat liber è seruo, atq; uocetur filius dei, & à morte reuocetur ad uitam, à nullo alio potest dari, nisi ab eo qui cum deo naturalem habet societatem, & à seruili cõditione sit alienus. Quomodo autem sociabit nos deo, qui ipse est alienus? Quomodo liberos reddet nos, qui ipse est iugo seruitutis obnoxius? Itaq; non ob eadem fit spiritus & angelorum mentio, sed spiritus cõmemoratur tanquam autor ac dominus uitæ, angeli uero tãquam conseruorũ adiutores, fidelesq; ueritatis testes adhibentur. Siquidẽ mos est sanctis, dei pæcepta testibus adhibitis tradere. Sicut hic ipse Timotheo loquens in hunc modum, Quæ accepisti à me coràm multis testibus, ea depone apud fideles homines. Et nunc angelos attestatur, sciens quod angeli pariter adfuturi sunt iudici, quum uenerit in gloria patris, ut iudicet orbem terrarũ in iustitia. Quisquis enim, inquit, cõfitebitur me coram hominibus, & filius hominis confitebitur eum corã angelis eius. Qui uero abnegauerit me coram hominibus, abnegabitur in conspectu angelorum dei. Et Paulus alibi dicit, In reuelatione domini Iesu de cœlis, cum angelis. Hanc ob causam contestatur angelos, firmas sibi

2. Tim. 2.

Mat. 10.

2. Thes. 1.

præparans probationes ad magnum illud tribunal. Neq; hic modo, uerũ etiam ſimpliciter omnes, quibus aliquod uerbi miniſterium commiſſum eſt, nullo unquam tempore ceſſant teſtari: non angelos tantum, uerum etiam cœlum & terram inclamant, ut intra quorum ambitum omnia gerantur, quiq; in examinatione in hac uita geſtorum ſint ſimul cum iudicandis futuri. Aduocauit, inquit, cœlũ ſurſum, & terram ad dijudicãdum populum ſuum. Vnde & Moſes traditurus populo eloquia dei, Teſtor, inquit, hodie cœlum & terram. Et rurſus in Cantico, Attende cœlum & loquar, & audiat terra uerba ex ore meo.
cap.1 Item Eſaias, Audi cœlum, & auribus percipe terra.
cap.2 Hieremias autem etiam admirationẽ ac ſtuporem cœlo tribuit, ob audita impia populi facta: Obſtupuit cœlum ſuper hoc, & exhorruit amplius terra uehementer, dicit dominus, quoniã duo mala fecit populus meus. Apoſtolus itaq; ſciens angelos hominibus datos ceu pædagogos quoſpiam ac morum gubernatores, uocauit illos in teſtimoniũ. At Ieſus Naue etiam lapidem teſtem ſermonũ ſtatuit. Iam uero & collis alibi teſtis appellatur à Iacob, Erit, inquit, lapis hic hodie in teſtimonium uobis in extremis diebus, quum mẽtiti fueritis domino ueſtro: fortaſſe credens uirtute diuina & lapides uocem emiſſuros in redargutionem tranſgreſſorũ. Sin minus, certe illud fore, ut

re, ut omnium cõſcientia ſtimulo recordationis per/
culſa uulneretur. Ad hunc igitur modum, ij quibus
commiſſa fuit animarum gubernatio, teſtes quicũqꝫ
quandocunqꝫ fuerint præparant, ut in poſterũ citari
poſſint. Sed ſpiritus non ad uſum occaſionis, ſed per
naturæ communionem deo coniũctus eſt, haud ille
quidem pertractus à nobis ſed à domino adiũctus.

Obiectio, quod in Moſen nonnulli bapti zati ſunt, & in illum crediderunt, & huius dilutio, in quibus & de typis. Cap. XIIII

VERVM, inquiũt, tametſi baptizamur in ſpiritu, nõ inde pareſt ut ſpiritus deo copuletur, quando in Moſen nonnulli baptizati ſunt & in nube & in mari. Si/ 1.Cor.10
militer in confeſſo eſt & fidem tum temporis in ho/
mines peruenisſe. Credidit enim populus deo, & Exo.14
Moſi famulo eius. Quid igitur, inquiũt, ex fide ac ba
ptiſmo ſpiritũ ſanctum uſqꝫ adeo attollis ac magni/
ficas ſupra reliquã creaturam? quum eadem iam &
in hominibus fuiſſe ſcripturarũ teſtimonijs demon/
ſtratum ſit? Quid dicemus? Nimirum illud, quod in
ſpiritum quidem ſanctum, ut credimus, æque atqꝫ
in patrẽ & filium, ſimiliter & baptizamur. Fides au/
tem quæ erat in Moſen, & in nube, uelut umbra fuit
& figura

& figura. Neq; uero quoniam diuina rebus humilibus & humanis præfigurata ſunt, protinus & diuinorum humilis eſt natura, quam figurarum adumbratio frequẽter innuit. Eſt enim figura rerum expectandarum declaratio, per imitationẽ ob oculos ponens, ac tecte præmonſtrans quod futurũ eſt. Velut Adam figura erat futuri, & Chriſtus figurate dictus eſt lapis, & aqua promanans è petra figura erat uiui
10.6 ficæ potẽtiæ uerbi. Si quis, inquit, ſitit, ueniat ad me, & bibat. Et mãna typus erat uiui panis, qui de cœlo deſcendit. Et ſerpens pro ſigno poſitus, typus erat ſalutiferæ paſſionis per crucem conſummatæ, eoq; qui reſpexerũt ad illum ſeruati ſunt. Similiter & quæ de eductis Iſrahelitis ſcribuntur, ad ſignificationem eorum qui baptiſmo ſalui fiunt, narrata ſunt. Seruabãtur enim Iſrahelitarum primogenita, quẽadmodum & baptizatorum corpora, quum gratia datur ijs qui ſanguine ſignati fuerint. Sanguis enim pecudis, figura eſt ſanguinis Chriſti. Primogenita uero typus eſt hominis, qui primus conditus eſt: qui quoniam neceſſario in nobis eſt, dum perpetuo tenore ſucceſſionis uſq; ad finem propagatur, ideo in Adam omnes morimur, & regnauit mors ab Adam uſq; ad legis conſummationem, & Chriſti aduentum. Porrò primogenita à deo præterita ſunt, ne ea tangeret angelus extinctor, ut oſtenderetur, nos iam non amplius

mori

mori in Adam,qui in Christo uiuificati sumus. Cæterum, mare & nebula ad præsens quidem tempus, induxit ad fidem admirationis, ad futurum autem, tanquam typus uenturã gratiam præsignauit. Quis sapiens & intelliget hæc? Quomodo mare baptismi typum gerens, separat à Pharaone, sic & lauacrum hoc à diabolica tyrannide. Illud quidem occidit hostem in sese, moritur & hic inimicitia quæ nobis fuit cum deo. Ab illo populus exijt illæsus. Ascendimus & nos ab aquis tãquam ex mortuis uiui, seruati per gratiam eius qui uocauit nos. At umbra quam fecit nubes,figura est doni proficiscentis à spiritu sancto, quæ flammam cupiditatum mortificando,membra nos refrigerat. Quid igitur? num quia per figurã in Mose baptizati sumus, ideo protinus exigua est gratia baptismatis? Ad istam rationem nec aliud quicquam in nostris sacramẽtis fuerit magnum, si quod in singulis magnificum est, cum figuris conferamus. Ac ne dei quidẽ erga homines charitas quicquam erit magni aut eximij, qui filium unigenitum dedit pro peccatis nostris,quandoquidem & Abraham filio suo non pepercit. Nec Christi mors erit glorioſa, quod aries loco Isaac uictimæ figurã expleuit. Neq; descẽsus ad inferos erit horribilis,quod Ionas tribus diebus ac totidem noctibus mortis figurã prius expleuit. Idem ergo facit & de baptismate, qui uerita-

tem umbræ comparans, cumq; figuris conferens ea quæ figuris significantur, uniuersam pariter euangelicam dispẽsationem eleuare aggreditur. Nam quæ peccatorum remissio, quæ uitæ renouatio in mari, quod donum spirituale datum est per Mosen? Quę illic peccati mortificatio? Non illi Christo commortui sunt, eoq; nec cum illo resuscitati sunt. Non portabant imaginem illius cœlestis, non mortificationem in corpore circunferebant, non exuerant ueterem hominem cum factis suis, non induerāt nouum, qui renouatur in agnitionem secundũ imaginem illius qui condidit. Quid igitur confers lauacra cum lauacris, quæ solam nominis appellationem habent communem, rerum uero tanta est differẽtia, quanta est inter somnia & ueritatem, inter umbras imaginesq;, & inter ea quæ reuera sunt. Quanq; & ipsa fides in Mosen non modo declarat, fidem quoq; in spiritum paruæ esse dignitatis, sed iuxta istorũ ratiocinationem, omnia potius quæ de deo profitemur extenuat. Cre-
Exod. 4 didit, inquit, populus deo, & Mosi famulo eius. Deo itaq; copulatus est Moses, non spiritui: eratq; typus, nõ spiritus, sed Christi. Tum enim is qui medius intercedit inter deũ & homines, per Mosen præsignabatur in ministerio legis. Necq; enim spiritus figura fuit Moses, qui inter deum & populum intercessit. Data est enim lex, disposita per angelos, in manu se-

questri

queſtri,uidelicet Moſi, iuxta prouocationem populi
dicentis, Loquere tu nobis, & non loquatur nobis deus. Itaq; fides quæ erat in Moſen ad dominũ re/ Exo.22
fertur, qui ſequeſter eſt inter deum & homines, qui
dixit,Si crederetis Moſi,crederetis utiq; & mihi. An Ioan.5
ideo parui momenti eſt, fides in dominum,quæ per
Moſen præſignata eſt? Non opinor. Conſimili ra/
tione ſi quis in Moſe baptizatus eſt,nequaquam ob
id,eſt exigua ſpiritus gratia in baptiſmate. Quanq̃
& alioqui poſſum dicere,conſuetudinem eſſe ſcriptu
ræ,Moſi nomine etiam ſignificare legem, uelut illic,
Habent Moſen & prophetas. Itaq; de legali baptiſ/ Luc.16
mate loquens, Baptizati ſunt,inquit,in Moſe.Quur
igitur gloriam noſtræ ſpei,ac diuitias dei,& ſeruato/
ris noſtri,qui gratis per regenerationem renouat ue/
lut aquilæ iuuentutem noſtram,cõtemptibilem red/
dere conamini,ex umbris & figuris ueritatem calum
niantes? Profecto ſtulti,ac omnino infantilis animi
eſt, pueriq; cui reuera lacte eſt opus, ignorare ma/
gnum illud myſteriũ noſtræ ſalutis: quod quemad/
modum doctores facere ſolent in inſtituendis diſci/
pulis,ita nos in exercitatione pietatis dum ad perfe/
ctionem inducimur, primum perceptu facilioribus,
ac noſtro modulo congruentibus ad incomprehen/
ſibilem ſcientiã paulatim introducti fuimus,deo qui
noſtra gubernat, oculos noſtros uelut in tenebris

enutritos,paulatim ad magnum illud lumen assuefa ciendo subuehente. Dum enim parcit infirmitati no strę in profunda opulentia sapiẽtiæ suæ, inq; imper scrutabilibus iudicijs,placidam hanc nobisq; accom modam adhibuit institutionem, ut prius corporum umbras intueremur,& in aquis solẽ cerneremus,con suefaciens,ne protinus spectaculo puræ lucis offensi, caligaremus. Ad consimilem rationem tum lex um/ bram habens futurorũ,tum per prophetas facta de/ liniatio,quæ est ueritatis ænigma,exercitamenta ex/ cogitata sunt,quibus oculi cordis nostri præpararen tur, ut ab his facilis nobis transitus esset ad recondi/ tam in mysterio sapientiam. Itaq; de figuris quidem hactenus . Neq; enim licet huic loco diutius immo/ rari . Alioqui quod obiter incidit,longe maius fieret argumẽto principali. Quorsum igitur attinet his ali/ quid addere, in quibus abũde multæ sunt obiectio/ num dissolutiones.

Alius deus

Confutatio eorum qui obijciunt,quod in aqua baptizati sumus,in quo & baptismi declaratio. Cap. XV

ETIAM in aqua baptizamur,at nequa quam ob id aquam uniuersæ creaturæ præferimus, aut ei patris filijq; honorẽ communicamus. Atq; illorum quidem uerba

uerba talia sunt, qualia essent hominum ira commo torum, qui ob rationem affectu obscuratam, à nullo temperant, quod ad ulciscendum eum à quo offensi sunt, faciat. Nos tamen haud grauabimur etiam de his differere. Aut enim ignorantes docebimus, aut perperā obsistentibus non concedemus. Sed re paulò altius repetita dicemus: Dei ac seruatoris nostri circa hominem dispēsatio, reuocatio est à prolapsu, reditusq; ad dei cōtubernium ab alienatione quam induxit inobedientia. Hanc ob causam fuit aduētus Christi in carne, euangelicæ conuersationis prodita forma, afflictiones, crux, sepultura, resurrectio, ut homo qui saluus fit per imitationem Christi, ueterem illam adoptionem qua in ius filiorum ascitus fuerat, recipiat. Itaq; necessarium est ad uitæ perfectionem Christum imitari, non solum exemplis, quæ in uita demonstrauit, lenitatis, modestiæ, ac patientiæ, uerū etiam mortis illius, sicut Paulus ait, Christi imitator: conformor morti eius, si quo modo peruenia ad resurrectionē è mortuis. Quomodo igitur fit, ut simus in similitudine mortis eius? Consepulti cum illo per baptisma. Quis igitur est modus sepulturæ, aut quis ex imitatione fructus? Primum oportet uitæ prioris seriem interrumpere. Id autem nemo potest facere, nisi natus desuper, iuxta domini uocem. Siquidem regeneratio, quod ipsum etiam nomen declarat, alte Rom. 6

rius uitæ initium est. Vnde eum qui alteram uitam incepturus est, oportet superiori uitæ finem impone re. Quemadmodũ enim in his qui posteaquàm ad stadij finem peruenerunt, sese reflectunt, & priusq; in contrarium moueantur, consistunt paulisper, ac re quiem aliquam interponunt: sic & in mutatione uitæ uidebatur necessarium, ut mors inter priorem & posteriorem uitam intercederet, quæ & præcedẽtem finiat, & initium det sequuturæ. Quomodo igitur asequimur descensum ad inferos? Christi sepulturam imitantes per baptismũ. Eorum enim qui baptizantur corpora, quodãmodo aquis insepeliuntur. Proin depositionem operum carnis figurate significat ba-
Coloss. 2 ptismus, iuxta Apostolum dicentem, Circũcisi estis circuncisione non facta manu, per expoliationẽ corporis carnis, in circuncisione Christi, sepulti cũ illo in baptismo, qui quodã modo repurgat animam, à carnalis affectus immũdicia ipsi adnata, iuxta id quod
Psal. 50 scriptum est, Lauabis me & super niuem dealbabor. Eoq; non Iudæorum more in quibuslibet inquinamentis abluimur, sed unum nouimus salutiferum baptisma: quandoquidem una est pro mundo mors, & una ex mortuis resurrectio, quarum figura est baptisma. Quapropter, qui nobis uitam dispensat dominus, baptismatis pactum nobis statuit, mortis ac uitæ typum habẽs: mortis quidem imaginem implen-

te

te aqua, ſpiritu uero uitæ arram præbente. Hinc ita/
q; nobis perſpicuum eſt factum quod quærebatur.
quamobrem aqua coniũcta ſit ſpiritui. Quum enim
duo ſcopi ꝓpoſiti ſint in baptiſmo, uidelicet ut abo/
leat corpus peccati, ne poſtea fructificet mortẽ, tum
ut uiuat ſpiritu, & fructũ habeat in ſanctificatione:
aqua mortis exhibet imaginẽ, corpus uelut in ſepul/
chro recipiens, ſpiritus uero uim uiuificam immittit,
à morte peccati renouans animas noſtras in nouam
uitam. Hoc igitur eſt deſuper naſci ex aqua & ſpiri/
tu, quaſi mortificatio perficiatur in aqua, uitam uero
noſtram operetur ſpiritus. Tribus igitur dimerſioni/
bus, ac totidem inuocationibus, magnum baptiſma
tis myſterium peragitur, ut & mortis figura adum/
bretur, & per traditionẽ diuinæ cognitionis animus
repurgetur eorum qui baptizantur. Itaq; ſi qua eſt
gratia in aqua, non eſt ex ipſius aquæ natura, ſed ex
ſpiritus præſentia. Non enim eſt baptiſmus depoſi/
tio ſordium corporis, ſed conſcientiæ bonæ interro/
gatio apud deum. Itaq; dominus ad uitam ex reſur/
rectione nos præparans, totam euangelicam conuer
ſationem proponit, ut nõ iraſcamur, ut malorum to/
lerantes ſimus, & à uoluptatum amore puri, ut à ſtu/
dio pecuniæ mores ſint liberi, præſcribens, utq; quæ
illud ſeculum iuxta naturam poſſedit, hæc nos occu/
pantes corrigamus. Proinde ſi quis definiens dicat

euan

euãgelium esse formam uitæ,quæ est ex resurrectio/
ne, mihi nequaquam uideretur à uero aberrare. Ad
Reuertitur toties scopum igitur reuertamur: per spiritum sanctum da
tur in paradisum restitutio,in regnum cœlorum redi
tus , in adoptionem filiorum reuersio : datur fiducia
deum appellandi patrem suum,consortem fieri gra/
tiæ Christi,filium lucis appellari,æternæ gloriæ par/
ticipem esse,& ut semel omnia dicã, esse in omni be/
nedictionis plenitudine, tum in præsenti hoc seculo,
tum in futuro nobis repositorum bonorum, quibus
interim per fidem fruimur,perinde qũasi adsint,gra/
tiam uelut in speculo cõtemplantes. Nam si talis est
arrabo, quale est illud quod perfectum est ? Et si ta/
les sunt primitiæ,quæ erit uerbi consummatio? Insu/
per & illinc cognoscitur,quàm excellẽs sit gratia quæ
à spiritu confertur in baptismate,quod Ioannes qui/
dem baptizauit aqua , dominus autem meus Iesus
Mat.3 Christus in spiritu sancto. Ego, inquit, baptizo uos
per aquam ad pœnitentiam: qui autem post me ue/
nit,potentior me est,cuius nõ sum dignus ut gestem
calciamenta : ipse uos baptizabit in spiritu sancto &
igni. Ignis baptismum probationem quæ fiet in iudi
cio, sentiens,quemadmodum ait Apostolus, Vniuscuiusq; opus quale sit,ignis probabit. Et rursũ, Dies
1.Cor.3 enim declarabit, quod in igni patefit. Iam uero sunt
nonnulli,qui in certaminibus pro pietate,reuera non
imi

imitatione Christi mortem perpessi, nihil huiusmodi sacramẽtis quæ sunt in aqua opus habuerunt ad salutem, nimirũ in proprio baptizati sanguine. Neq; hæc ita loquor, quod aquæ baptisma spernã, sed ut istorum rationes deijciam, qui aduersus spiritum eriguntur, quiq; commiscent mixturam nõ recipientia, & similia faciunt, quæ comparationem respuunt. Ad id igitur quod institutum est redeamus. *Reditus*

Quod in omni sensu, spiritus sanctus inse parabilis est à patre & filio, siue in creatione intelligibilium creaturarum, siue in humana dispensatione, siue in iudicio quod expectatur. Cap. XVI

QVOD in omnibus spiritus sanctus inseparabilis, & prorsus indistractus sit à patre & filio, Paulus Corinthijs scribẽs declarat, eo in loco quo tractat de dono linguarum: Si omnes, inquit, prophetetis, ingrediatur autem infidelis, aut idiota, arguitur ab omnibus, iudicatur ab omnibus, & occulta cordis eius manifesta fiunt, atq; ita procidens in faciem, adorat deum, renũcians quod deus sit uere in uobis. Itaq; si ex prophetia, quæ iuxta distributionem donorum spiritus operatur, agnoscitur deus in prophetis esse, consultent isti, quem locum tribuãt spiritui sancto. Vtrum 1.Cor.12.

æquius sit illum cum deo iungere, an ad creaturarum ordinem extrudere. Præterea ex his quæ Petrus di-
Act. 5 xit Sapphiræ, Quid est quod conuenit inter uos, tentare spiritum sanctum, non mẽtiti estis hominibus, sed deo: declarat quæ peccãtur in spiritum sanctum, eadem peccari in deum. Hoc autẽ pacto discere poteris, spiritum sanctum in omni operatione coniunctum & inseparabilẽ esse à patre & filio. Siquidem quum deus efficiat uarias operationum distributiones, ac dominus eas distributiões administret, simul adest spiritus sanctus, partitionem donorum pro cuiusq; dignitate proprio arbitrio dispensans. Diuisiones, inquit, donorum sunt, unus autem spiritus. Et diuisiones administrationum sunt, unus autem dominus. Et diuisiones operationum sunt, unus autem deus, qui operatur omnia in omnibus. Hæc autem,
1. Cor. 12 inquit, omnia operatur unus & idẽ spiritus, diuidens seorsim cuiq;, prout uult. Attamen non quoniã Apostolus primo loco meminit spiritus, secundo filij, tertio dei & patris, protinus oportet suspicari totũ omnino ordinem inuersum esse. A nostra siquidem conditione sumpserat exordium, eo quod nobis qui dona accepimus, primũ occurrit is qui distribuit: mox cogitamus eum qui misit, postremo cogitationẽ subducimus ad fontẽ autoremq; bonorum. Iam etiam ex rebus initio cõditis discas licet, spiritus cum patre

& filio communionem. Nam meræ, & intelligibiles, & ultramundanæ uirtutes, ſanctæ tum ſunt, tum nominantur, ex gratia per ſpiritū infuſa ſanctimoniam nactæ. Eoćꝫ prætermiſſa eſt mentio quomodo cœleſtes uirtutes conditæ fuerint, ſed de ſenſibilibus tantum creatorem nobis aperuit is, qui cōditi orbis conſcripſit hiſtoriam. Tu uero qui facultatem habes ex uiſibilibus inuiſibilium rationem deprehendere, glorifica conditorem in quo condita ſunt omnia, ſiue uiſibilia, ſiue inuiſibilia, ſiue principatus, ſiue poteſtates, ſiue uirtutes, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue aliæ quæpiam naturæ rationales quæ nominari non poſſunt. In horum autem creatione cogita mihi principalem cauſam eorum quæ fiunt, patrem, deinconditricem filium, perfectricē ſpiritum ſanctum: ut uoluntate quidem patris ſint adminiſtratorij ſpiritus, filij uero operatione perducantur ut ſint, ſpiritus autem aduentu perficiantur. Porrò angelorum perfectio eſt ſanctificatio, & in hac perſeuerantia. Ac nemo me credat, tres originales ſubſtātias ponere, aut filij operationem imperfectā eſſe. Principium enim eorum quæ ſunt, unum eſt, per filiū condens, per ſpiritum ſanctum perficiens. Ac nec pater qui operatur omnia in omnibus, imperfectā habet operationem, neqꝫ filius inconſummatam creationem, niſi à ſpiritu perficiatur. Hoc pacto nec pater opus habebit filio,

sola uoluntate creans, attamẽ uult & solet creare per filium. Neqꝫ filius egebit auxilio, iuxta patris similitudinem operans, sed & filius uult, soletqꝫ per spiritum perficere. Nam uerbo domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Itaqꝫ nec uerbum est significatiuus aëris ictus, per uocis instrumẽta prolatus: nec spiritus oris halitus, è partibus respiratorijs efflatus: sed uerbum quod in principio fuit apud deum, deus est: & spiritus oris dei, spiritus est ueritatis, qui à patre ꝓcedit. Itaqꝫ tria intelligis, mandantem dominum, creans uerbum, & confirmãtem spiritum sanctum. Quæ porrò alia possit esse confirmatio, quàm in sanctimonia perfectio, confirmationis uerbo significante, constantiam, immutabilitatẽ, ac soliditatem in bonis. Sanctificatio uero non est absqꝫ spiritu. Neqꝫ enim cœlorũ uirtutes suapte natura sanctæ sunt: nam si id esset, nulla re differrent à spiritu sancto: sed iuxta portionem qua se inuicem superant, à spiritu habẽt sanctificationis mensuram. Quemadmodũ enim cauterium non sine igni intelligitur, quum aliud sit subiecta materia, aliud ignis: itidem & in cœlestibus uirtutibus, substantia quidem earum, puta spiritus est aërius, aut ignis immaterialis, iuxta id quod scriptũ est, Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos ignem urẽtem. Eapropter & in loco sunt, & fiũt uisibiles, dum ijs qui digni sunt appa

Psal. 32

Caue Heb. 1

apparent in ſpecie propriorum corporum. Attamen ſanctificatio quæ eſt extra ſubſtantiam illorum, perfectionem illis adiũgit per communionem ſpiritus. Conſeruant autem dignitatem per perſeuerantiam in bono, habentes quidem in eligendo liberum arbitrium, nunquam tamen ab eius qui uere bonus eſt, conſortio excidẽtes: ut ſi ſubtraxeris uerbo ſpiritum, perierint angelorum choreæ & ſanctificatio, ſublatæ ſint archangelorum præfecturæ unà cum ſanctificationibus ac prophetijs, deniq; cõfuſa fuerint omnia. Conſequenter & nullis gubernata legibus, nullo digeſta ordine, nullis finibus circũſcripta fuerit illarum uita. Quomodo ergo dicent angeli, Gloria in excelſis deo: niſi à ſpiritu accepta poteſtate? Nemo ſiquidem poteſt dicere dominũ Ieſum, niſi in ſpiritu ſancto, & nullus in ſpiritu dei loquens, dicit Ieſum anathema: quod ſanè dicerent impij & aduerſarij ſpiritus, quorum defectio comprobat quod dicimus, uirtutes inuiſibiles eſſe ſui arbitrij, æque ad uirtutẽ atq; ad uitium uertibiles, & ob id opus habentes auxilio ſpiritus. Ego uero ipſum Gabrielem haud alio modo arbitror prædicare futura, quàm præſcientia ſpiritus, eo quod unum de numero uariorum donorum ſpiritus, ſit prophetia. Porrò qui myſteria uiſionis uiro deſideriorum iuſſus erat annunciare, unde nactus eſt ſapientiam, ut poſſit docere arcana, niſi per ſpiri- Iterat

tum ſanctum, quum patefactio myſteriorum pecu/
liariter ad ſpiritum ſanctũ pertineat, iuxta id quod
1.Cor.2 ſcriptum eſt, Nobis reſerauit deus per ſpiritũ. Thro/
ni uero & dominationes, principatus & poteſtates,
quomodo beatam illam uixiſſent uitam, niſi ſemper
uiderent uultum patris, qui in cœlis eſt? At uiſio non
eſt abſq; ſpiritu. Quemadmodum enim ſi in nocte
tollas lucernã è domo, ſupereſt ut nihil uideant ocu/
li, nihil operentur uirtutes, nec agnoſcatur rerum di/
gnitas, ſed per ignorãtiam aurum perinde conculce/
tur ac ſi ferrum eſſet: ita in intelligibili gubernatione,
impoſſibile eſt illam inſititiam manere uitam abſq;
ſpiritu: nihilo profecto magis quàm exercitus in re/
cto ordine manere poteſt abſente duce, aut chorus
in conſonantia, niſi adſit chori præfectus, qui tempe
Eſa.6 ret harmoniam. Qui poſſent dicere Seraphim, San
ctus, ſanctus, ſanctus dominus: niſi docti per ſpiri/
tum, quoties pium eſt hũc glorificationis hymnum
canere. Siue igitur laudant deum omnes angeli eius,
ſiue laudãt eum omnes uirtutes eius, per ſpiritus in/
ſtinctum fit, ſiue aſtant milies mille angeli, ſiue cen/
ties centum milia angelorum illi miniſtrantium, per
uirtutem ſpiritus, ſuum officiũ citra reprehenſionem
perficiunt. Itaq; tota illa ſupercœleſtis & ineffabilis
harmonia, tum in culturis dei, tum in ultramundana
rum uirtutum inter ipſas conſonantia nequaquã ſer/
uari

uari posset,nisi præsit spiritus.Ad eum quidem mo/
dum in creando adest spiritus sanctus, ijs quæ non
proficiendo perueniũt ad perfectionem, sed ab ipsa
protinus creatione perfecta sunt, in hoc ut perficia/
tur consummeturq; illorum substantia, simul confe/
rens gratiam suam. Cæterum dispositiones circa ho
minẽ, quæ factæ sunt à magno deo,& seruatore no/
stro Iesu Christo,iuxta bonitatem dei & patris,quis
negabit per spiritus gratiam esse peractas? Siue ue/
lis prisca spectare, ueluti patriarcharum benedictio/
nes,auxilium per legem datam,figuras,prophetias,
fortiter in bellis gesta, miracula per sanctos ædita:si/
ue quæ circa Christi in carne aduentum dispensata
sunt:per spiritum gesta sunt omnia.Primo enim ad/
fuit ipsi carni dominicæ,dum illi factus est unctio,&
inseparabiliter coniunctus,sicut scriptum est, Super *Mat.3*
quẽ uideris spiritũ descendentẽ & manentẽ super eũ,
hic est filius meus dilectus. Et,Iesũ à Nazareth quẽ *Mar.1*
unxit deus spiritu sãcto. Deinceps omnis actio præ *Act.4*
sente spiritu sancto peragebat.Hic aderat simul quũ *Mat.4*
& à diabolo tẽtaretur.Sublatus est,inquit,Iesus à spi
ritu in desertũ ut tẽtaretur.Tum ædenti miracula si/ *Mat.12*
mul aderat. Si enim,inqt,in spiritu eijcio dæmonia.
Nec deseruit excitatũ à mortuis.Dñs enim qui reno
uabat hominẽ,eiq; reddebat gratiã quam ex afflatu
dei acceptã amiserat, inspirauit in faciẽ discipulorũ,
qui/

Ioan.20 quibus ait, Accipite spiritum sanctũ,si quorum pec-
cata remiseritis remittuntur, & si quorum retinueri-
tis,retenta sunt. Iam uero ecclesiæ ordo, & guberna-
tio,nonne palàm & irrefutabiliter per spiritum san-
1.Cor.12 ctum peragitur? Ipse,inquit,dedit ecclesiæ primum
apostolos,deinde ꝓphetas,tertio doctores. Ad hæc
uirtutes, præterea dona sanationum, subuentiones,
gubernationes,genera linguarum. Hic enim ordo iu
xta distributionem donorum spiritus digestus est.
Quin si quis accuratius perpendat, comperiet ne in
tempore quidem apparitionis de cœlo dominicæ,
quam expectamus,ocioſum fore spiritum sanctum,
id quod quidam arbitrãtur: sed simul adfuturum in
die quo sese manifestabit filius, quo iudicaturus est
orbem terrarũ in iustitia,ille beatus,& solus potens.
Quis igitur usqꝫ adeo rudis est, ut nõ audierit de bo
nis quæ deus prꝫparauit dignis,ignoretqꝫ iustorum
coronam esse spiritus beneficium, quod tum largius
perfectiusqꝫ dabitur,spirituali gloria cuiqꝫ pro recte
Ioan.14 gestis distributa? In splendoribus enim sanctorum
mansiones multæ sunt apud patrem: hoc est, digni-
1.Cor.15 tatis discrimina. Sicut enim stella à stella differt in
claritate,ita & resurrectio mortuorum. Itaqꝫ qui con
signati sunt spiritu sancto in diem redẽptionis,quiqꝫ
sancti spiritus primitias puras & incorruptas serua-
Mat.25 uerint,ij sunt qui audient,Euge serue bone & fidelis,

super

ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam. Similiter & qui contriſtauerint ſpiritũ ſanctum, malicia ſtudiorum ſuorum, aut qui non fecerint lucrum è ſorte data, ſpoliabuntur eo, quod acceperant, beneficio in alios translato, aut iuxta Euangeliſtam, omnino diſſcindentur. Diſſectio autem omnino intelligẽda eſt in hoc, quod prorſus & à ſpiritu ſancto alienabuntur. Neq; enim corpus diuiditur, ut una pars tradat' ſupplicio, altera abſoluatur. Nam id quidem fabuloſum, nec eo dignũ iudice, quum totus homo peccauerit, dimidiũ illius addici pœnæ. Nec anima in duas partes ſecatur, quum tota per totum hominem peccandi affectum habeat, ſimulq; cum corpore malum operetur. Sed quemadmodum dixi, diſſectio eſt animæ, perpetua à ſpiritu ſancto alienatio. Nunc enim tametſi non admiſcetur indignis, attamen aliquo pacto uidetur adeſſe ſemel conſignatis, expectans ut ad ſalutem conuertantur. Tum uero in totum ab anima quæ gratiam ipſius prophanauerit, reſecabitur. Eoq; non eſt in inferno qui confitea/tur, neq; in morte qui memor ſit dei: quod iam non adſit ſancti ſpiritus adiutorium. Quomodo igitur intelligi poteſt, abſq; ſpiritu ſancto fieri iudiciũ? quum uerbum declaret, ſpiritum eſſe iuſtorum præmium, quando pro arrabone exhibebitur quod perfectum eſt. Et hæc eſt prima peccatorum condẽnatio, quum

eo quod uidebantur habere, ſpoliantur. Porrò maximum argumentum, ſpiritus cum patre & filio arctiſſimæ ſocietatis, illud eſt, quod eodem modo dicitur habere ſe erga deũ, quo erga unumquẽq; noſtrum
1.Cor.2 ſe habet ſpiritus, qui eſt in nobis. Quis, inquit, hominum, nouit ea quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus, qui eſt in ipſo. Sic, quæ ſunt dei nemo nouit, niſi ſpiritus, qui ex deo eſt.

Aduerſus eos, qui dicunt ſpiritũ ſanctum non annumerari patri, ſed ſubnumerari, ubi & de pia ſubnumeratione, ſummarius fidei decurſus. Cap. XVII

ET hæc quidem hactenus: cæterum ſubnumerationem quid dicãt, aut in cuius rei ſignificationem uocem hanc uſurpent, ne cogitare quidẽ facile eſt. Nam & hanc nobis è mundi ſapientia fuiſſe inuectam, in propatulo eſt. At an aliquã habeat propriam rationem ad id quod nũc agitur, hoc cõſideremus. Aiunt igitur qui circa res inanes curioſi ſunt, quædam nomina eſſe cõmunia, quorum ſignificatio multa complectitur: alia magis propria, & alia plus alijs habere uim peculiare quiddam denotandi. Exempli cauſa, commune nomẽ eſt eſſentia, quod pariter de omnibus prædicatur, ſiue inanimis ſiue animatis. Peculiarius

liarius autem animal,quod de paucioribus prædica/
tur quàm illud prius, de multis tamen quæ uidentur
illi ſubiecta.Siquidem in eo,rationalium ſimul & ir/
rationalium natura comprehẽditur. Rurſum magis
ſpeciale nomen eſt homo,quàm animal : rurſum uir *Prædicabilia*
ſpecialius eſt nomen,quàm homo, & uiro ſpecialius
eſt,hic,aut ille uir,puta Petrus,aut Paulus,aut Ioan/
nes. An igitur quum ſubnumerationem dicunt ſen/
tiunt communis uocabuli,in ea quæ ſubiecta ſunt di
uiſionem? At non poſſum credere illos ad tantũ ſtu/
porem deductos, ut dicãt deum omnium rerum ue/
lut communionem quandam eſſe uerbo tantum in/
telligibilem,ſed qui non habeat eſſe per ſubſtãtiam,
in ſubiecta diuidi, atq; hinc ſubdiuiſionem hanc &
ſubnumerationem dici. Iſtud ſanè ne inſani quidem
dixerint. Nam præter impietatem,etiam ſermonem
inſtituunt,cum eo quod proponunt pugnãtem,pro/
pterea quod quæ ſubdiuiduntur,eiuſdem ſunt eſſen/
tiæ,cuius ſunt illa à quo diuiduntur. Sed ob nimiam
iſtorum abſurditatẽ uidemur oratione deſtitui , nec
habere quibus uerbis illorum ſtultitiam reprehẽda/
mus,adeo ut mihi uideãtur etiam propter amẽtiam
aliquid lucrifacere . Quemadmodũ in corpora mol/
lia cedentia q; non poſſis egregiam plagam impin/
gere,eo quod obſiſtere contra q; niti non queant,ita
eos qui palàm inſaniunt non poſſis forti iuuenili q;

redargũtione percellere. Supereſt igitur, ut abominã dam illorum impietatem ſilentio prætereamus. At non patitur ſilere me nec fratrum charitas, nec aduer ſariorũ improbitas. Quid igitur dicunt? Vide quan/ ta ſit in dictis illorum arrogãtia. Nos, inquiunt, pro/ fitemur, ijs qui honore pares ſunt conuenire connu/ merationem: ijs uero qui inferioris ſunt conditionis, ſubnumerationẽ. Et iſtud quur tãdem dicitis? Neq; enim intelligo ueſtram peregrinam ſapientiam. An quod aurum auro connumeratur, plumbũ uero non item erit connumerari dignum, ſed ob materiæ uili/ tatem ſubnumerabitur auro? Tantamq; uim tribui/ tis numero, ut is uel rerum uilium dignitatem attol/ lere, uel precioſarum rerum maieſtatem deijcere ua/ leat. Ergo rurſus aurum precioſis lapidibus ſubnu/ merabis, atque in his ipſis elegantioribus ac maio/ ribus ſubnumerabis minus lucidos ac minores. Sed quid non dicant, qui ad nihil aliud uacant, niſi aut ad dicendum, aut audiendum aliquid noui? Poſt/ hac cum Stoicis & Epicureis nominẽtur, qui docent impietatem. Quæ namq; uel poſſit fieri rerum uilio/ rum ad precioſiores ſubnumeratio? Æreus obolus, aureo ſtateri quomodo ſubnumerabitur? Quoniam non dicimus, inquiũt, duo poſſideri numiſmata, ſed unum & unum. Vtrum igitur utri horum ſubnume/ ratur? Nam utrũq; ſimiliter profertur. Sed ſi quod/

q; per

q̄ per ſe numeres, facis æqualitatē precīj eodem numerandi modo. Rurſus ſi ea coniungas, eandem facis dignitatem, utrum q̄ alteri connumerans. Quod ſi quicquid in numerādo poſteriori loco poſueris, id habebit ſubnumerationem, numeranti in manu eſt, ab æreo numiſmate numerationē incipere. Sed imperitiā redarguere ſuperſedeamus, & ad ea quæ ad rem pertinent orationem uertamus. Etiam´ne filium dicitis ſubnumerari patri, ac ſpiritum filio, an ſoli ſpiritui tribuitis ſubnumerationē? Etenim ſi filium ſubnumeratis, rurſus in eiuſdem impietatis ſermonē reciditis, uidelicet in diſparilitatem eſſentiæ, in dignitatis deiectionem, in natiuitatē tempore poſteriorem: breuiter in omnes ſimul blaſphemias contra unigenitum unico iſto uerbo reuolui declarabimini: quibus contradicere prolixius eſt, quàm ut huic conueniat feſtinationi, præſertim quum aliàs alīs in locis iſtorum impietas à nobis pro uiribus refutata ſit. Quod ſi ſoli ſpiritui putant conuenire ſubnumerationem, diſcant ſpiritum ſimul eodem modo pronunciari cum domino, quo modo filius pronunciatur cum patre. Nomen enim patris filīj & ſpiritus ſancti, ſimiliter æditum eſt. Ita q̄ quemadmodum ſe habet filius ad patrem, ita ad filium ſeſe habet ſpiritus, iuxta uerbi dei ordinem in baptiſmo traditum. Quod ſi ſpiritus filio iunctus eſt, filius autem patri

Reditus

tri,liquet & ſpiritum adiungi patri. Quem igitur lo/cum habet,ut dicant alterum connumerari, alterum ſubnumerari, quum in una eadēq; ſerie nomina ſint ordinata.In ſumma porrò,quæ res ex omni rerū ge/nere, à ſua ipſius natura excidit dum numeratur, ac non potius quæ numerantur, talia perſeuerant,qua/lia cōdita ſunt ab initio.Cæterum numerus adhibe/tur à nobis, ut ſignum quo declaratur multitudo eo/rum de quibus agimus.Nam corpora quædam nu/meramus, quædam metimur, quædam libramus:& quorum continua eſt natura,ea mēſura comprehen/dimus, quorum diſcreta, ea numero ſubiicimus, niſi quod quæ ſubtilia ſunt,ea rurſus fiunt etiam menſu/rabilia. Porrò quæ grauia ſunt, libræ momento diſ/cernimus.Non itaq; quoniam iiſdem ſigna ad ſigni/ficationē quantitatis excogitauimus,protinus etiam naturā eorū quæ ſignificātur immutauimus.Quem/admodū igitur quæ libra expendimus,ea non ſubli/bramus inter ſeſe, etiam ſi unum ſit aurum, alterum ſtamnum,neq; ſubmetimur,quæ mēſura diiudican/tur:ita nec ea quæ numerant,ullo modo ſubnumera/mus. Quod ſi in cæteris nihil eſt, quod ſubnumera/tionem recipiat,qua fronte dicent ſpiritui competere ſubnumerationem . Sed iſti circa ethnica inſaniētes, exiſtimant dignitates quæ gradibus diſtant, aut iu/xta naturæ ſubmiſſionē ſunt inferiores,iis conuenire ſubnumerationem.

Quomodo in professione trium personarum pium monarchiæ dogma seruamus, ubi & eorum qui dicunt spiritum subnumerari refutatio. Cap. XVIII

QVVM patrem & filium & spiritum sanctum traderet dominus, nō simul cum numero tradidit, non enim dixit, In nomine primi, secūdi, ac tertij: neq; in uno, duobus, aut tribus: sed per sancta nomina fide ad salutem perducente cognitionem largitus est. Itaq; quod nos saluos facit, fides est. Numerus uero signū declarans quantitatem eorum de quibus loquimur, ab hominibus excogitatus est. Sed qui undiquaque sibi ipsis noxias contrahunt, etiam numerandi facultate aduersus fidem abusi sunt. Alij uero qui cæteris in rebus nihil immutant propter additū numerum, in diuina natura uenerātur numerum, nec ob id honoris modum paracleto debitum transgrediuntur. Sed ô sapientissime, sint maxime supra numerum, quæ non possumus assequi, quemadmodum prisca Hebręorum pietas proprijs ac peculiaribus notis ineffabile nomen dei figurabat, atq; hinc in omnibus excellentiam commēdabat. Quod si & numerus adhibendus est, nequaquam est in hoc deprauāda ueritas. Aut enim silentio honorantur ineffabilia, aut

pie

Eph. 4 pie numerantur ſancta. Vnus deus & pater, & unus unigenitus filius, & unus ſpiritus ſanctus. Vnamquamq; perſonam ſingulariter efferimus, cæterum ubi numerãdum eſt, haudquaquam indocte numerãdo, eas ꝓferimus, quaſi plures deos intelligamus. Neque enim iuxta compoſitionem numeramus, ab uno ad plura facientes incrementũ, ut dicamus, unũ, duo, tria, neq; primũ, ſecũdum, ac tertium. Ego enim deus primus, & ego poſterior. Secundum aũt deum nũquam ante hac, ac ne hodie quidem audimus, eo quod deum ex deo adorantes, etiam proprietatem profitemur perſonarum, manemusq; in uno principatu, non diſſipantes diuinæ naturæ rationẽ in multitudinem ſubdiuiſam: eo quod unam in deo patre, & deo unigenito, formam, ut ita loquar, contemplamur, inſeparabili deitatis eſſentia unitã. Filius enim in patre, & pater in filio: quãdoquidem hic talis eſt, qualis ille, & ille qualis hic: atq; hac quidem in parte unum ſunt. Itaq; iuxta perſonarum proprietatem, unus ſunt & unus: at iuxta communẽ naturã, unum ſunt ambo. Quomodo igiť ſi unus & unus ſunt, non ſunt duo dij? Quoniam rex dicitur regis imago, non autem duo reges. Neq; enim poteſtas ſcinditur, neq; gloria diuiditur. Quemadmodum autem principatus ac poteſtas nobis dominans una eſt, ſic & glorificatio quam illi deferimus una eſt, nõ multæ. Itaq; imaginis

imaginis honor ad exemplar primū refertur. Quod igitur hic est per imitationem imago, hoc illic natura filius: & quemadmodū apud artifices imitatio fit ad formam, ita in diuina incompositaq; natura, in communione deitatis est unio. Vnus autem est & spiritus sanctus, qui & ipse per se profert, ac per seipsum complet super omnia glorificandam ac beatam trinitatem: cuius cum patre & filio consortium satis illud declarat, quod in turba creaturarum positus non est, sed solitarie profertur. Neq; enim unus est è uulgo, sed quemadmodum unus est pater, ut unus filius, ita & unus est spiritus sanctus, à creatura natura tātum semotus, quantum par est solitarium à rebus compositis ac multitudinem habentibus abesse. Patri uero in tantum unitus est, quātum consortij habet unitas cum unitate. Sed nec hinc solū probatur naturæ communio, uerum illinc quoq;, quod ex patre esse dicitur, non sic à patre ueniens, quemadmodum ex deo sunt omnia, neq; per generationem quēadmodum filius, sed tāquam spiritus oris eius. Omnino tamen nec os membrum est, nec flatus resolubilis spiritus: sed os dei maiestas dicitur, & spiritus essentia uiuēs, sanctificationis autor: unde sic declaratur illius consortium, ut ineffabilis essentię modus seruetur. Quin & Christi spiritus dicitur, tāquam illi natura coniunctus. Eoq; si quis Christi spiritum nō habet, hic non

est eius. Vnde solus spiritus digne glorificat dominum. Ille, inquit, me glorificabit: non ut natura generabilis, sed tanquam spiritus ueritatis, dilucide in seipso declarans ueritatem, & tāquam spiritus sapientiæ Christum, qui est dei uirtus ac dei sapiētia, in sua magnitudine incomprehensibilem. Deniq; tāquam consolator in seipso exprimit, cōsolatoris à quo missus est bonitatem, & in sua propria dignitate eius à quo processit, maiestatem illustrat. Est igitur gloria, alia quidem naturalis, ueluti gloria solis est lumen: alia gloria aliunde ueniens: alia ex proposito, quæ iudicio defert pro meritis. At hæc rursum gemina est.

Ioan.14 Filius, inquit, glorificat patrem, & seruus dominum suum. Ex his duabus, ea quæ seruilis est à creatura defertur: altera uero quæ, ut ita loquar, cōtubernalis est, à spiritu præstatur, quemadmodum de seipso di

Ioan.17 xit, Ego te glorificaui super terrā, opus perfeci quod dedisti mihi ut facerem. Sic & de paracleto dictum

Ioan.16 est, Ille me clarificabit, quoniam de meo accipiet, & annunciabit uobis. Et quemadmodum filius glorifi-

Ioan.7 catur à patre, quum ait, Et glorificaui, & in æternum glorificabo, sic glorificatur spiritus per consortium quod habet cum patre & filio: & per unigeniti testi-

Mat.12 monium dicentis, Omnis blasphemia remittetur uobis hominibus, sed in spiritum blasphemia non remittetur. Quum autem per uim illuminatricem in-

ten

tendimus oculos in pulchritudinem imaginis dei in/
uiſibilis, perq; hanc ſubuehimur ad pulcherrimum
ſpectaculum archetypi, ibi uidelicet adeſt inſepara/
biliter, cognitionis ſpiritus, uim imaginis ſpeculatiuã
in ſeſe præbens, iis qui ueritatis contemplatione de/
lectantur, non foris oſtendens, ſed per ſeipſum indu
cens ad agnitionem. Quemadmodum enim nemo
nouit patrem niſi filius, ſic nullus poteſt dicere domi 1.Cor.12
num Ieſum: niſi in ſpiritu ſancto. Non dixit Per ſpi/
ritum, ſed In ſpiritu. Et, Spiritus eſt deus: & qui ado/ Ioan.4
rant eum, in ſpiritu & ueritate oportet adorare: ſicut
ſcriptum eſt, In lumine tuo uidebimus lumẽ: hoc eſt, Pſal.35
in illuſtratione ſpiritus uidebimus lumen uerũ, quod
illuminat omnem hominem ueniẽtem in mundum.
Itaq; in ſeipſo oſtendit unigeniti gloriã, & ueris ado
ratoribus in ſeipſo dei cognitionem præbet. Proin/
de uia ad dei cognitionẽ eſt ab uno ſpiritu, per unũ
filium ad unum patrem. Ac rurſus natiua bonitas,
& naturalis ſanctimonia, & regalis dignitas à patre
per unigenitum ad ſpiritum ſanctum permanat. Ad
hunc modum & perſonas profitemur, nec pium mo
narchiæ dogma labefactatur. Cæterum qui ſubnu/
merationem ponunt dicentes, primum, ſecundum,
ac tertium, ſciant ſeſe deorum multitudinẽ, iuxta gen
tium errorem, in illibatam Chriſtianorũ de deo pro
feſſionem inducere. Ad nihil enim aliud tendit ſub/

numerationis doloſa inuẽtio, quàm ut profiteamur, deum primum, ſecundum, ac tertium. Sed nobis ſufficit à domino præſcriptus ordo, quem qui cõfundit non minus peccabit, quàm peccat iſtorum impietas. Quod ergo naturalis communio nequaquam diſſoluitur modo ſubnumerationis, ſatis dictum eſt. Sed cõcedamus pertinaci & inaniter ſapiẽti, donemuſq; per ſubnumerationem ſpiritus ſignificari quiddam alio poſterius. Videamus quid ex hoc ſermone cõſequatur. Primus, inquit, homo de terra terrenus, ſecũdus homo de cœlo. Et alibi, Non primum, inquit, quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpirituale. Ergo ſi primo ſubnumeratur ſecundum, id quod ſubnumeratur uilius eſt eo cui ſubnumeratur. Ita iuxta uos, uilior eſt homo ſpiritualis animali, & cœleſtis homo uilior eſt terreno.

1. Cor. 15
Ibidem

Aduerſus eos, qui dicunt non eſſe glorificandum ſpiritum. Cap. XIX

DONEMVS iſta, inquiũt, at ea gloria nullo pacto debeꝫ ſpiritui, ut à nobis hymnis ſit attollendus. Vnde igitur probaturi ſunt ſpiritus dignitatẽ, omnem intellectum ſuperantem, ſi patris & filij cõmunio uiſa eſt iſtis parum grauis ad teſtificãdum. attamen poſſumus, & ad ea quæ nominibus ſignificantur reſpi-

cien

ciẽtes,& ad operationum magnitudinem,& ad ope/
rationem quam in nobis,imò quam erga creaturam
omnem ſuppeditat,naturę illius ſublimitatem ac po
tentiam incomprehenſibilem demonſtrare. Quate/
nus igitur mente tenetur, ſpiritus dictus eſt, quem/
admodum ſpiritus dicitur deus,& ſpiritus uultus no
ſtri,Chriſtus dominus.Sanctus dicitur,quemadmo
dum ſanctus pater,& ſanctus filius.Creaturæ ſiqui/
dem aliunde inducta eſt ſanctimonia,at ſpiritui ſan
ctitas eſt cõſummatiua naturæ. Ideoq; non ſanctifi
catur,ſed ſanctificat. Bonus item dicitur ſicut pater,
& bonus,is qui bonus ex bono natus eſt,cui bonitas
eſt ipſa eſſentia. Rectus dicitur, ut rectus dominus,
& rectus deus noſter,eo quod per ſe ſit ipſa uirtus &
ipſa iuſtitia,quæ ſe non poteſt nec in hanc partẽ nec
in illam flectere, propter naturæ incommutabilita/
tem.Paracletus,id eſt,cõſolator,dicitur ſpiritus, quẽ/
admodum & unigenitus: ſicut ipſe dixit, Ego roga/ Ioan.14.
bo patrem meum,& dabit uobis alium paracletum.
Hoc pacto communia ſunt nomina patri,filio,& ſpi
ritui ſancto,quę appellationes competunt illis iuxta
naturæ conſortium.Nam unde alioqui? Rurſum ſpi
ritus principalis, & ſpiritus ueritatis, & ſpiritus ſapi/
entiæ dictus eſt.Spiritus diuinus qui fecit me.Et Be/ Exod.31.
ſelehel, inquit, impleuit deus ſpiritu ſapientiæ & in/
tellectus & ſciẽtiæ.Huiuſmodi igitur nomina,& præ

clara sunt & magnifica, nec ob id declarāt inter personas esse ullam excellentiam, quod quidem attinet ad gloriā. Operationes uero partim ineffabiles sunt ob magnitudinem, partim innumerabiles ob multitudinem. Nam quo pacto intelligemus ea quæ fuerunt ante secula? Quales erant illius operationes ante creaturā intelligibilem? Tum quàm multa ab illo erga creaturam beneficia? Ad hæc quæ potestas ad uētura secula? Erat enim, & præerat, & simul aderat cum patre & filio ante secula, ut etiam si quid cogitaris ante secula, hoc tamen reperias spiritu esse posterius. Quod si creaturam reputes, cōsolidatæ sunt cœlorum uirtutes à spiritu, sic ut consolidationem intelligas firmitatem, qua non possunt à bonis excidere. Etenim quod deo coniūctæ sunt, quodq; ad malicia uerti nō queunt, quodq; in beatitudine nihil desiderant uirtutes, id illis à spiritu accessit. Christi aduentus est, spiritus præcurrit. In carne fuit aduentus, & spiritus inseparabilis. Operationes uirtutum sunt, sunt dona sanationū, sed per spiritum sanctum. Dæmones expulsi sunt, sed in spiritu dei. Diabolus spoliatus est imperio, sed intus præsente spiritu. Peccato
1. Cor. 6 rum facta est remissio, sed in gratia spiritus. Abluti estis, sanctificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi, & in spiritu sancto. Conglutinatio cum deo
Rom. 8 à spiritu est. Misit enim deus spiritum filij sui in cor-

da

da noſtra,clamãtem,Abba pater. Reſurrectio mor/
tuorum à ſpiritu eſt. Emittes ſpiritum tuum, & crea/ Pſal.103
buntur,& renouabis faciem terræ. Siue quis creatu/
ram accipiat,de extinctorũ reuiuiſcentia,an non ma
gna ſpiritus operatio, quæ ſuppeditat nobis uitam
ex reſurrectione, & ad ſpiritualem illam uitam ani/
mas noſtras tranſcribit. Siue creaturæ nomine intel/
ligantur,qui hic à peccato recedẽtes,ad id quod opti
mum eſt transformati ſunt:nam ita quoq; nonnun/
quam uſurpatur,iuxta ſcripturæ conſuetudinem,ue/
lut quum Paulus dicit,Si qua in Chriſto noua crea/ 2.Cor.5
tura. Et renouatio quæ hic fit, & à terrena mortali/q;
uita ad cœleſtem conuerſationem trãſmutatio, quæ
fit per ſpiritum, ad ſummam admirationem ſubdu/
cit animos noſtros. In his utrum metuere debemus,
ne dignitatẽ immodicis honoribus tranſgrediamur:
an contrà,ne cogitationem de ſpiritu noſtram ad hu
milia deprimamus, etiã ſi uideamur maxima de eo
loqui,quæ quidẽ humana mente concipi,humana/q;
lingua proferri poſſunt. Hæc dicit ſpiritus ſanctus,
ſicut Hæc dicit dominus: Deſcende,& ambula cum Act.7
illis, nihil diſjudicans,quoniam ego miſi illos. Num
hæc ſunt humilis aut aſpernandi uerba? Separate Act.15
mihi Barnabam & Paulum in opus ad quod accerſi
ui illos. Num ſeruus ita loquitur? Et Eſaias, Domi/ cap.48
nus miſit me,& ſpiritus eius. Et,Deſcendit ſpiritus à
domi/

domino,& deduxit eos. At ne rursus mihi deductio
nem accipias pro humili ministerio. Nam hoc opus
Psal.76 etiam dei esse testatur uerbum. Deduxisti,inquit,si/
cut oues populum tuum.Et,Adducēs uelut ouem Io
seph.Deduxisti,inquit,eos in spe,& non timuerunt.
Ioan.14 Proinde quum audieris, Quum uenerit paracletus,
ille uos commonefaciet omnis ueritatis:cogita dedu
ctionem, sicuti doctus es, ne calūnieris intellectum.
Quin & interpellat,inquit,pro nobis. Ita ne quātum
supplex est infra beneficij autorem, tantum spiritus
iuxta dignitatem excidit à deo? At tu nondum audi
sti de unigenito,quod is est in dextra dei,& interpel/
lat pro nobis. Num ideo quod spiritus est in te,si ta/
men omnino in te est,aut quod nos excæcatos,ad eli
gendum id quod utile est,docet,deducitq; , ideo pia
ac diuina gloria illum mulctabis? Nam isthuc profe
cto extremæ sit ingratitudinis,benemerentis huma/
nitatem uertere in occasionem ingratitudinis. Noli/
te igitur cōtristare spiritum sanctum,audite quid di/
cat primitiæ martyrum Stephanus,inobedientiam,
Act.7 ac rebellionem exprobrans populo. Vos,inquit,sem
cap.63 per spiritui sancto resistitis.Et rursum Esaias,Prouo
cauerunt spiritum sanctum, & uersus est illis in ini/
micitiam.Et alibi, Domus Iacob ꝓuocauit spiritum
domini. An hæc non declarent potentiam cum auto
ritate coniunctam, iudicio legentium permitto. Eos

qui

qui hæc audiunt, quas tãdem opiniones oportet animo concipere? An tanquã de instrumẽto, deq; obediente, & parem honorẽ cum creatura sortito, deniq; nobis conseruo? an grauissimum est uel dicto tãtum hanc blasphemiam subire piorum aures animosq;? Seruum appellas spiritum? Sed seruus, inquit, non nouit quid faciat dominus ipsius. Spiritus autẽ non aliter nouit quæ sunt dei, quàm spiritus hominis nouit quæ sunt hominis. Ioan.15

Aduersus eos qui dicunt, spiritum nec in seruili, nec in herili conditione esse, sed in libertate. Cap. xx

NEQVE seruus, inquiunt, neq; dominus, sed liber. O mirũ stuporem, ó miseranda audaciam ista loquentium. Quid amplius deplorem, utrum inscitiam an blasphemiam istorum, qui de deo dogmata humanis exemplis corrumpunt, & quæ est in rebus hominum consuetudo, per quam dispar est dignitatũ excellẽtia, eam ad diuinam & ineffabilem naturam accommodare nituntur, haud reputantes apud homines quidem nullũ esse natura seruum. Aut enim qui uiribus pressi sunt, sub iugum seruitutis inducti sunt, uelut in bello capti: aut ob paupertatẽ in seruitutem adacti sunt, uelut Ægyptij Pharaoni: aut iuxta sa-

pientiam quandam & arcanam dispẽsationem,qui inter filios deterrimi sunt,parentum uoce, sapientioribus ac melioribus in seruitutem addicti sunt, sed quam haudquaquam condemnationem, sed beneficium potius duxerit æquus rerum æstimator. Nam qui ob sensus inopiam,non habet in sese id quod natura imperat, huic expedit in alterius esse potestate: ut dum potentioris prudentia gubernatur,similis sit currui qui aurigam recepit, aut naui quæ nauclerum habet clauo assidentem. Hanc ob causam Iacob dominus Esau ex benedictione patris factus est,ut stultus à sapiente,uel inuitus beneficio afficeretur, quippe non habens proprium curatorem, uidelicet mentem. Et Chanaã filius,seruus erat fratribus suis,quoniam indocilis erat ad uirtutem , quod imprudẽtem haberet patrem,uidelicet Cham . Ad hunc quidem modum hic fiunt serui . Liberi uero sunt, qui effugerunt paupertatem,aut bellum, aut qui aliorum cura non egent. Itaq; quãuis hic herus,ille seruus appellẽtur, omnes tamen uel quia sumus eiusdem inter nos honoris , uel quia sumus creatura illius qui fecit nos, conserui sumus. Illic porrò quid potes è seruitute eximere? Simul ut nati sunt,additum est,ut seruitutem seruiant. Sibi quidem inuicẽ non imperant,eo quod cœlestia expertia sint usurpationis, deo tamen subiecta omnia, ac tanquam domino debitum timorem,

ac

ac tanquam conditori debitam gloriam perſoluunt. Filius enim honorat patrem,& ſeruus metuit domi/ *Malac.*
num ſuum. Et ex his duobus alterum omnino deus à nobis requirit. Nam ſi pater, inquit, ſum ego, ubi eſt honor meus? Si dominus ſum ego,ubi eſt timor meus? Alioqui uita hæc fuerit omniū maxime miſe/rabilis,niſi ſubdita ſit prouidentiæ diuinæ. Cuiuſmodi ſunt uirtutes deſertrices,quæ quod ceruicem erexerunt aduerſus deum omnipotentem, excutiunt ſeruitutem,non quod aliter conditæ ſint,ſed quod ſubditæ non ſint ei,à quo conditæ ſunt. Quomodo igitur appellas liberum? Qui regis imperio non obtempe/rat? Qui nec in alterum principatū gerere nouit,nec principi parere ſuſtinet? At nec eſt iſtiuſmodi natura in rebus cōditis, & talem imaginari euidens eſt in ſpiritū impietas. Quod ſi ſpiritus creatura eſt,nimirū ſeruit cū cæteris omnibus. Omnia enim,inqt,ſeruiūt tibi. Si ſupra creaturā eſt,regni quoq; conſors eſt.

Teſtimonia è ſcripturis, ſpiritum appellari dominum. Cap. XXI

SED quid opus eſt ex rebus humilibus pugnātes,uerbis turpiter parare uicto/riam, quum liceat citandis grauioribus teſtimonijs irrefutabilē gloriæ ſublimi/

tatem declarare? Quod si proferremus ea quæ scri/ptura nos docuit, forsitan magno uehementiq; cla/more uociferantes, & auribus obturatis lapides tol/lent, aut quicquid fortè occurrerit, in arma uertentes isti qui repugnant spiritui, in nos irruerint. Sed non est nobis incolumitas anteponenda ueritati. Inueni/mus igitur apud Apostolum, in epistola ad Thessa/
cap.2 lonicenses secũda, Dominus autem dirigat corda no/stra, in dilectionem dei, & in sustinentiam Christi. Quis est dominus inducens in dilectionem dei, & in sustinentiam pro afflictionibus Christi. Respon/dent nobis, qui spiritum in seruitutem adigunt. Siue enim de patre fiat sermo, omnino dici poterit, Domi/nus uos dirigat in dilectionem sui: siue de filio, addi/poterit, in suam ipsius sustinentiam. Quærant igitur quæ nam sit alia persona, quã domini uocabulo de/ceat honorari. Huic affine est illud, quod alibi posi/
2. Thess.3 tum est: Dominus uos impleat, & abundare faciat charitate, in uos inuicem & in omnes, quemadmo/dum & nos in uos, ad confirmandũ corda uestra ir/reprehẽsibilia in sanctificatione, coram deo & patre nostro in aduentu domini nostri Iesu Christi cum omnibus sanctis suis. Quem dominũ optat coram deo & patre nostro in aduẽtu domini nostri irrepre/hensibilia fidelium Thessalonicensium corda confir/mata in sanctitate constabilire? Respondeant nobis

qui

qui cum miniſtratorijs ſpiritibus,qui mittũtur ad mi
niſterium,collocant ſpiritũ ſanctum. At non habent
quod reſpondeant, quapropter audiant & aliud te/
ſtimonium, euidenter ſpiritum ſanctũ appellans do 2.Cor.3
minũ. Dominus,inquit,ſpiritus eſt. Et rurſum, Tan/
quam à domino ſpiritu. Ne uero ulla relinquatur oc
caſio contradicendi, ipſum Apoſtoli ſermonem reci/
tabo: Vſq; ad hodiernũ,inquit,diem,idem uelamen
in lectione ueteris teſtamẽti manet non reuelatum, Ibidem
quod in Chriſto abrogatur. Quum autem cõuerſus
fuerit ad dominum,tolletur uelamen. Dominus au/
tem ſpiritus eſt. Quur hoc dicit? Quoniam qui nudę
intellectui literæ aſſidet, & illic circa legales obſerua/
tiones occupatus eſt, Iudaica literæ intelligẽtia quaſi
uelo tectũ habet cor: & id accidit illi eo quod ignoret
corporalẽ legis obſeruationẽ in aduẽtu Chriſti abo/
litam eſſe,iam figuris ad ueritatem translatis. Euane
ſcunt enim lucernæ ſolis aduẽtu. Et ceſſat lex,ac pro/
phetæ ſilent ſimul ut illuxit ueritas. Attamen qui po
tuit ad profunda legalis intellectus oculis penetrare,
ac diſcuſſa legis obſcuritate ceu uelamẽto introire ad
arcana,hic imitatus eſt Moſen, in hoc quod cũ deo
loquens ſuſtulit uelamen,& ipſe ſe conuertens à lite/
ra ad ſpiritum: ut uelamini quod impoſitũ eſt ſuper
faciem Moſi reſpondeat legalium doctrinarum ob/
ſcuritas, conuerſio autem ad dominũ reſpondeat ſpi

rituali intelligentiæ. Ergo qui in lectione legis aufert literam, conuertit ſeſe ad dominũ, (Dominus autem nunc hic ſpiritus dicitur) ac ſimilis redditur Moſi per illuſtrationem dei, qui faciem habet glorificatam. Sicut enim quæ iuxta floridos colores poſita ſũt, è ſplẽdore promanante colorãtur & ipſa: ſic qui euidenter intendit oculos in ſpiritum, ex illius gloria quodam modo transformatur ut fiat illuſtrior, dum ueritate à ſpiritu promanante ceu luce, corde illuminatur. Et hoc eſt transformari à gloria ſpiritus ad propriã gloriam, haud parce, neq; tenuiter, ſed in tantum quantum par eſt illuſtrari eum qui à ſpiritu illuminatur.

1. Cor. 13 Non uereris ô homo Apoſtolũ dicentẽ, Templum dei eſtis, & ſpiritus dei habitat in uobis. An ſcriptura admiſit unquã ut ſeruile domiciliũ appellatione templi honoraret? Quid ille qui ſcripturã diuinitus inſpiratã appellat, eo quod afflatu ſpiritus ſcripta ſit, num cõtumelioſis & ſpiritũ attenuãtibus uerbis uſus eſt?

Confirmatio naturalis ſpiritus cõmunionis, eo quod æque ac pater & filius incomprehenſibilis eſt. Cap. XXII

NON ſolum autem ex hoc quod eaſdem habet appellationes, & in operatiõibus conſors eſt patri & filio, dilucet naturæ illius excellentia, uerum etiã ex eo quod

pari

pariter atq; illi incõprehensibilis est intellectu. Quæ enim de patre loquitur, quod sit supra cogitationem humanam, quæq; de filio, eadem dominus & de spiritu sancto dicit, Pater iuste, mundus te non cognouit, inquit filius: mundum hic appellans nõ eum qui constat è cœlo & terra, sed insynceriſſimam innumerisq; mutationibus obnoxiam uitam. Ac de seipso loquens, Adhuc modicum, inquit, & mũdus me non uidebit, uos autem uidebitis me: rursus hic eos qui materiali carnaliq; uita deuincti sunt, & oculis tantũm expendunt ueritatem, mundum appellans: qui quoniam non credebant resurrectionem, non amplius oculis cordis uisuri erant dominum nostrum. Hæc autem eadem dixit & de spiritu, Spiritum, inquit, ueritatis mundus nõ potest accipere, neq; uidet illum, neq; nouit eum: uos autẽ nouistis illum, quod apud uos manet. Carnalis siquidem homo mentem habens ad cõtemplationem minus exercitatam, aut in affectu carnis uelut in cœno defossam gerẽs, non potest ad spirituale lumen ueritatis attollere oculos. Quapropter mundus, hoc est, carnis cupiditatibus dedita uita, uelut oculus imbecillis nõ ferens solis radios, spiritus gratiã non recipit. At dominus collaudatis discipulis, quod mundæ essent uitæ ob doctrinam ipsius, dat ijsdem, ut ad speculationem contemplationemq; spiritus sint idonei. Nunc, inquit, uos mundi

Ioan.14

Ibidem

Ioan.15

mundi eſtis,propter ſermonem quem loquutus ſum uobis. Vnde mũdus non poteſt illũ capere,eo quod non uidet illum. Vos autem nouiſtis eum, quoniam
cap.59 apud uos manet.Eadem dicit & Eſaias, Qui ſtabiliuit terram,& quæ in ea ſunt,deditq; ſpiritum populo qui eſt ſuper illam , & ſpiritum calcantibus eam. Nam qui conculcant terrena, ijſq; ſuperiores euaſerunt,digni prædicati ſunt dono ſancti ſpiritus . Proinde de ſpiritu quem mundus capere non poteſt,ſed à ſolis ſanctis per cordis puritatẽ uideri poteſt, quid aliud iudicandum eſt,quàm omnis generis honores illi cõpetere? Reliquæ uirtutes omnes in loco circunſcriptæ eſſe credũtur.Nam angelus qui aſtabat Cornelio,non erat in eodem loco,quo quum aſtaret Philippo.Neq; qui loquutus eſt Zacharię ab altari,per idem temporis etiam in cœlo ſuam implebat ſtationem.At ſpiritus ſimul & in Abacuch operatus, & in Daniele in Babylonia creditus,& in catarrhacta fuit cum Hieremia, & cum Ezechiele in Chobar . Spiri-
Pſal.138 tus enim domini repleuit orbem terrarum. Et, Quò ibo à ſpiritu tuo? & à facie tua quò fugiam ? Et Propheta, Quoniam ego,inquit,uobiſcum ſum,dicit do-
Agg.2 minus. Et, Spiritus meus ſtat in medio ueſtri . Eum uero qui ubiq; eſt, qui deo præſens eſt,cuius eſſe naturæ credere oportet? Vtrum omnia complectentis, an particularibus arctatæ locis ? Qualem eſſe natu-

ram

ram angelorũ dei filius demõstrauit. Verum hoc ne quaquã dicturus es. Igitur qui natura dominus est, qui magnitudine incõprehensus, qui potens in operationibus, qui bonus in beneficentijs, hunc non effe remus, non glorificabimus?

Spiritus glorificationẽ esse enumeratio/nem eorum quæ illi adsunt. Cap. XXIII

EGO uero nihil aliud intelligo gloriam, quàm cõmemorationẽ mirabiliũ quæ illi adsunt. Itaq; aut isti interdicent nobis, ne prorsus mẽtionem faciamus bonorũ quæ ab illo accepimus, aut omnino ea quæ illi adsunt cõmemorasse, est summam glorificationem implesse. Nam ne patrem quidem domini nostri Iesu Christi, & unigenitum illius filium aliter glorificare possumus, quàm pro uirili nostra illius prodigia recensendo.

Redargutio absurditatis eorũ qui nõ glo/rificãt spiritum, ex collatione eorum quæ in creaturis glorioſa sunt. Cap. XXIIII

TA´NE gloria & honore coronabit' ple/beius homo. Et gloria, & honor, & pax homini faciẽti bonum in promissis re/posita sunt. (Est autem peculiaris Isra/

m helitici

helitici populi gloria, quorum, inquit, est adoptio, & gloria, & cultura. Et suam ipsius gloriam quandam
Psal. 56 commemorat psalmorũ cantor, Exurge gloria mea. Et rursus, Gloria solis, lunæ, & stellarum. Iuxta Apostolum uero administratio iudicij fiet cum gloria.) Itaq; quum tam multa sint quæ gloria potiuntur, uis
2. Cor. 3 spiritũ unum ex omnibus inglorium esse? Et tamen ministratio, inquit, spiritus est in gloria. Qua igitur fronte facitis illum indignum gloria? Et magna est
Psal. 157 gloria iusti, iuxta psalmodiã, Magna est gloria eius in salutari tuo. Et rursus, Timẽtes autem dominum glorificabit. At gloria spiritus iuxta tuã opinionem nulla est. An non igitur euidẽs periculum est, talibus dictis ineuitabile crimẽ in sese accersere? Verum homo qui saluus fit per iustitiam operum, plurimũ absit ab eo, ut spiritum debita gloria fraudet. Sit, inquiunt, glorificandus, at non cũ patre & filio. Et qui consentaneum est rationi, alium locũ imaginatione designare spiritui, eo relicto quẽ statuit dominus: & gloriæ consortio spoliare, eum qui ubiq; coniunctus est diuinitati, in professione fidei, in baptismate redemptionis, in operatione uirtutũ, in inhabitatione sanctorum, in donis ad obedientiam conferentibus. Neq; enim est ullum donũ absq; sancto spiritu ad creaturam perueniens, quando nec simplex uerbum in Christi laudibus quis possit dicere, nisi cooperante

te ſpiritu, quemadmodum in euãgelijs à domino & ſeruatore noſtro didicimus. Eſſe qui hæc omnia neglexerint, & ignorata communione quæ eſt in omnibus patri & filio, diſtrahant ſpiritum, neſcio an quiſquã ſancti ſpiritus particeps cõficturus ſit. In quem igitur ordinem illum deportabimus? Creaturarum? At uniuerſa creatura ſeruit. Spiritus autem liber eſt. 2.Cor.3 Vbi ſpiritus domini, ibi libertas. Atq; quum multa ſint quæ poſſim hic commemorare, quàm non cõueniat ſpiritũ ſanctũ annumerare rebus creatis, de his dicere ſuperſedebo. Nam ſi incipiam pro argumenti dignitate, & quæ pro nobis faciũt, probationes adducere, & quæ ab aduerſarijs obijciuntur diluere, prolixo ſermone fuerit opus, loquacitateq; uoluminis deterruero lectores. Eoq; illis alteri tractatui reſeruatis, propoſitis adhæreamus. Conſideremus igitur ſingu latim. Natura bonus eſt ſpiritus, ut bonus pater, & bonus filius. Creatura uero per electionem eius qui bonus eſt, particeps eſt bonitatis. Nouit profunda dei: ſed creatura, per ſpiritum accipit arcanorum reſerationem. Viuificat unà cũ deo qui uiuificat omnia, cumq; filio qui dat uitã. Qui enim excitauit, inquit, Rom.7 Chriſtum à mortuis, uiuificabit & mortalia corpora ueſtra, per ipſius ſpiritum qui habitat in uobis. Atq; iterũ, Oues meæ uocẽ meã audiũt, & ego uitam æternam do illis. Sed ſpiritus quoq; uiuificat. Ac rurſum, Ioan.10

Repetit omnia

Spiritus autẽ,inquit, uita per iuſtitiam. Quin & dominus teſtatur ſpiritũ eſſe uiuificum. Caro non pro-
Ioan.6 deſt quicquam. Quomodo igitur eum à uiuificandi potentia ſubmouentes naturæ coniungemus, quæ ipſa uita egeat? Quis adeo contentioſus, quis adeo expers doni cœleſtis,& abſq; guſtu bonorũ dei uerborum? Quis adeo à ſpe cœleſtium alienus, ut ſpiritum creaturæ copulet à diuina natura diſtractum? In nobis,inquiunt,ſpiritus eſt tanquam donum dei. At donum nequaquam ijſdem honoribus afficitur, quibus is qui dedit. Donum quidem dei ſpiritus eſt, ſed donum uitæ. Lex enim dicit,Spiritus uitæ liberauit te. Et donum potentiæ, Accipietis uirtutem ſpiri-
Act.1 tus ſancti ſuperuenientis in uos. An ob id contẽnendus eſt? An non & filium pater dedit hominibus?
Rom.8 Qui,inquit,proprio filio non pepercit,ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non unà cum eo
1.Cor.1 omnia nobis donabit? Et alibi, Vt ſciamus quæ à deo nobis donata ſunt:de myſterio aſſumpti hominis loquens. Itaq; qui iſta loquuntur, an non Iudaicam ingratitudinem amẽtiamq; ſuperarunt, qui excellentiam diuinæ bonitatis uertunt in inſultũ blaſphemiæ. Accuſant enim ſpiritum,quod nobis dat fi-
Rom.8 duciam deum appellandi patrem noſtrum. Emiſit enim deus ſpiritum filij ſui in corda noſtra clamantem, abba pater, ut ſpiritus uox propria fiat eorum qui acceperunt.

Quod ſcriptura hac ſyllaba In, pro Cum, uſa ſit: ubi & In, idem pollere quod Cum. Cap. XXV

QVÎ ſit igitur, inquiunt, ut ſcriptura nequaquam tradat ſpiritũ glorificari cum patre & filio, ſed ſtudioſe uitet ne dicat, cum ſpiritu. Sed maluit eum glorificari in deo: quaſi hoc iudicarit congruentius. At ego nequaquam dixerim hanc ſyllabam In, ſignificare ſenſum minus honorificum, imo potius ſi ſanè accipiatur, ad maximam ſpiritus celſitudinem erigere mentem, quandoquidem obſeruauimus hanc frequẽter uſurpari pro Cum. Quod genus eſt illud, Ingrediar domum tuam, in holocautomatibus: pro eo quod erat, cum holocautomatibus. Et, Eduxit eos in argento & auro. Item illud, Egredietur deus in uirtutibus noſtris. aliaq; huius generis innumerabilia. Omnino lubens ab iſta noua ſapientia didicero, qualẽ glorificationem Apoſtolus abſoluerit per hanc dictionem In, iuxta formã quam iſti nunc è ſcriptura proferunt. Nequaquam enim inuenimus dictum, Tibi patri honor & gloria per unigenitum tuum in ſpiritu ſancto. Qui ſermo modo iſtis uſitatior eſt ipſa, ut ita loquar, reſpiratione. Horum enim ſingula ſeparatim inuenire licet, coniũctim poſita in tali ordine nequaquam poterunt oſtendere. Itaq; ſi exacte urgent

Pſal. 104.

ea quæ in ſcripturis habentur, oſtendant unde iſta dicant. Quod ſi concedunt conſuetudini, ne nobis faceſſant negocium. Nos enim ambas dictiones, è fidelium uſu mutuati, ambabus utimur: glorificationem quidem ex æquo per utramq; impleri perſuaſi: eis uero qui deprauant ueritatem magis obturari os credimus propoſita dictione, quæ quum uim habeat ſcripturis congruentem, non eſt amplius ad contraria accommodabilis. Eſt autem hæc, cui nunc abiſtis contradicitur, quæ pro Et, coniunctione ſumitur. Nihil enim refert utrum dicas, Paulus & Siluanus & Timotheus, an Paulus cum Timotheo & Siluano. Nominum enim connexio, utraq; pronuncia tione ſimiliter ſeruatur. Itaq; ſi quum dominus dixerit, Patrem & filium & ſanctum ſpiritum: ipſe dicam, Patrem & filium cum ſpiritu ſancto: nihil diuerſum dixero, quod ad ſententiæ uim attinet. Porrò per præpoſitionem connecti nomina, multis argumentis probari poteſt. Gratia, inquit, domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas dei, & communio ſpiritus ſancti. Ac rurſum, Obſecro uos fratres per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per charitatem ſpiritus. Itaq; ſi pro coniunctione Et, uoluerimus uti præpoſitione Cum, quid differentiæ fecerimus? Ego ſanè non uideo, niſi quis iuxta frigidam grammaticen, coniunctionem tanquam copulatiuam, ac maioris

ioris unionis declaratiuam præferens, præpositionem reiſciat, quaſi non obtineat parem uim. Sed ſi hactenus de his eſſet nobis controuerſia, haudquaquam multis uerbis opus eſſet nobis ad reſpondendum. Nũc uero neq; de ſyllabis, neq; de hoc aut illo dictionis ſono diſputant, ſed de rebus iuxta uim ac ueritatem maximo inter ſe diſcrimine diſſidẽtibus. In quibus quum indifferens ſit ſyllabarum uſus, iſti has quidem, ut in ſcripturis repertas inducere, illas uero ab eccleſia ſubmouere moliuntur. Ego uero tametſi primo ſtatim auditu euidens ſit utendi libertas, attamen etiam rationem reddam, iuxta quam patres noſtri non ocioſe ſimul amplexi ſint & huius propoſitionis uſum. Nam præterquàm quod hæc ſyllaba Et, idem ualens refellit Sabellij malitiam, & ſimiliter atque illa perſonarum proprietatem declarat, uelut, Ego & pater ueniemus, Ego & pater unũ ſumus: eximium habet ſempiternæ communionis, & cum deo coniunctionis teſtimonium. Nam qui dixit, cum patre filium eſſe, ſimul & perſonarum proprietatem & inſeparabile conſortiũ expreſſit. Quod idem fit in rebus humanis, in quibus Et, coniunctio, declarat operationis cõſortium: at præpoſitio Cum, ſignificat etiam communionem. Quod genus eſt, Nauigarunt in Macedoniam Paulus & Timotheus, ſed & Tychicus & Oneſimus miſſi ſunt Coloſ-

ſen

sensibus. Ex his discimus illos rem eandem fecisse. Cæterum si audierimus, connauigarunt, & collegæ missi sunt, etiam illud addiscimus, eos actionem pariter operatos esse. Ita Sabellij errorē destruens hæc uox, ut non alia æque, addidit illis & diuerso impietatis genere insanientes. De his loquor, qui temporalibus interuallis filium à patre, & spiritum sanctum à filio distrahunt. Cui sensui maxime repugnat syllaba Cum, eo quod Cum, coniunctionē inter sese communicantium exprimit, uelut simul nauigantium & simul inhabitantium, aut quiduis aliud communiter perficientium. At præpositio In, declarat relationem ad id in quo sunt operantes. Siquidem quum audimus Innauigant, aut Inhabitāt, protinus cogitamus scapham, aut domum. Itaq; iuxta communē usum harum syllabarum talis est inter ipsas differētia, aut si qd amplius inueniri possit à studiosis. Neq; enim mihi uacat de ratione syllabarum exquirere. Quoniam igitur demonstratū est præpositionem Cum, significantissime reddere coniunctionis intelligentiam, sit uobis si uidetur fœderata, ac desistite atrox, & indenunciatū bellum cum illa gerere. Attamen quāquā ea uox adeo boni ominis est, si cui cordi est per syllabam Et, glorificando connectere nomina, sicut in euangelijs de baptismate didicimus, patrem & filium & spiritum sanctum, ita fiat, nemo contradictu-

rus

rus est. Hac conditione deponamus arma. Sed isti ci tius abiecerint linguas, quàm hanc uocem recipiant. Hoc igitur est, quod nobis indenũciatum & irrecon ciliabile bellum excitat. In spiritu, inquiunt, sancto, danda est gloria deo, non ipsi spiritui : ac mordicus hanc uocem In, uelut humilem addunt spiritui. De qua non inutile fuerit prolixius dicere. Quæ quũ au dierint isti, demirabor si non eam proditricem, & ad spiritus gloriam ultrò transfugam pronunciarint.

Quot modis dicitur In, totidem modis de spiritu accipi. Cap. XXVI

MIHI consideranti quum simplex ac bre uis sit huius syllabæ pronunciatio, ta men uaria uidentur quæ per eam signi ficantur. Quot enim modis dicitur In, totidem modis inuenimus eam de spiritu concepti bus subseruire. Nam forma dicitur esse in materia, & potentia in eo quod est alicuius formæ capax, & ha bitus in eo qui secundũ illum affectus est, aliaq; hu ius generis multa. Itaque quatenus spiritus sanctus uim habet perficiendi creaturam rationalem, absol uens illius fastigium formæ rationem obtinet. Nam qui iam non uiuit secundum carnem, sed spiritu dei agitur, & filius dei nominatur, & conformis imagini filij dei factus est, spiritualis dicitur. Et sicut cernendi

Modi In

uis est in oculo sano,sic & operatio spiritus in anima
Eph.1 purgata. Eoq; Paulus optat Ephesijs,ut oculos habeant illuminatos in spiritu sapientiæ. Et quemadmodum ars est in eo qui nactus est illam, ita gratia spiritus in eo qui recepit, semper quidem præsens,at non perpetuo operans. Nam & ars,potētia quidem est in artifice: actu uero tum, quum secundum illam operatur:itidem spiritus, semper quidē adest dignis, sed operatur in illis iuxta utilitatē, aut in prophetijs, aut in sanationibus,aut in alijs miraculorum operationibus. Præterea sicut in corporibus est sanitas,aut calor, aut in genere affectiones facile mobiles: sic & in anima frequēter est spiritus, ijs qui mente sunt instabili,ac facile quam acceperant gratiam expellunt: qualis erat Saul, & septuaginta seniores filiorū Israel,præter Eldad & Modad: apud hos enim solos apparet māsisse spiritū sanctum:& in genere,si quis est istis animi proposito cōsimilis. Item quēadmodum uerbum est in animo,interdū ut in corde cogitatum, interdū ut lingua prolatum,sic est & spiritus sanctus uel quū testimoniū præbet spiritui nostro,uel quum clamat in cordibus nostris Abba pater, uel quum lo
Ioan.16 quitur pro nobis, iuxta id quod dictū est, Non uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis. Iam quemadmodū totum est in partibus,intelligit & spiritus esse in aliquo, iuxta donorum

rum distributionem. Omnes enim inuicem sumus membra, sed habentes dona secundum gratiam dei quæ data est nobis diuersa. Eapropter non potest dicere oculus manui, non opus habeo te, aut rursus caput pedibus, non est mihi uobis opus. Sed omnia simul implẽt corpus Christi in unitate spiritus, necessariam autem utilitatem sibi inuicem reddunt, ex donis. Deus posuit membra in corpore unũquodq; ut uoluit. Membra eandem habent pro se mutuo solicitudinem, iuxta spiritualem communionẽ sensus qui ipsis cõmuniter adest. Eoq; si affligitur unum membrum, similiter affliguntur omnia membra. Siue glorificatur unum membrũ, simul gaudẽt omnia membra. Rursus quemadmodum partes sunt in toto, ita singuli sumus in spiritu, eo quod omnes in uno corpore in unum spiritũ baptizati sumus. Porrò quod dictu mirum uidebitur, nihilo tamen minus uerum est, etiam ueluti locus eorum qui sanctificãtur, sæpenumero dicitur spiritus. Ostẽdetur nec hic sermo diminuere spiritũ, sed glorificare potius. Nomina corporalia etiam ad spirituales intellectus, euidẽtiæ gratia frequẽter trãsfert sermo diuinus. Obseruauimus igitur & psalmodum de deo loquentem, Esto mihi in deum protectorẽ, & in locum munitũ, ut saluum me facias. De spiritu uero, Ecce locus, inqt, apud me est, sta super petram: quid aliud sentiens locũ, quàm

Psal.30

Exod.33

uisionem in ſpiritū, in qua quūm eſſet Moſes, potuit uidere deum euidenter ipſi apparētem. Hic eſt locus ueræ adorationis ſempiternus. Attende, inqt, ne offeras holocautoma tuū in quouis loco, ſed in loco quē/cūq; elegerit dominus deus tuus. Quod igitur eſt ho
Pſal. 50 locautoma ſpirituale? Sacrificium laudis. Quo in lo/co hoc offeremus? In ſpiritu ſancto. Vbi hoc didici/
Ioan. 4 mus? Ab ipſo dño, dicente, Veri adoratores adora/bunt patrē in ſpiritu & ueritate. Hunc locum quū uidiſſet Iacob, dixit, Dñs eſt in loco hoc. Itaq; ſpiritus uere locus eſt ſanctorū. Sanctus item & domicilium dicitur ſpiritui, ſeipſum præbens ad inhabitandum, & templum eius appellatur. Sicut enim in Chriſto loquitur Paulus, Corā deo, inquit, in Chriſto loqui/mur. ita Chriſtus in Paulo, uelut ait ipſe, An experimētum quæritis qui loquitur in me Chriſti. Sic & in ſpiritu loquit' myſteria. Ac ſpiritus rurſum loquitur in eo. In rebus ergo conditis ad hunc modum, multifariam uariisq; rationibus dicitur ſpiritus ineſſe. Cæterum magis pium eſt, dicere eum eſſe cum patre, q̄ ineſſe patri. Nam gratia ab eo manans habitante in iis qui digni ſunt, ac ſuas operationes in illis exerēte, recte dicitur ineſſe iis qui ſunt illius capaces. At illius ſubſiſtētia quæ fuit ante ſecula, nec unquam deſitura permanentia cum filio & patre cōſiderata, ſempiternæ potentiæ & coniūctionis requirit appellationes.

Pro

Proprie ſiquidem ac uere coeſſe dicitur, de ijs quæ ſibi inuicem inſeparabiliter adſunt, Vt calorem ferro ignito ineſſe dicimus, & unà ſimul cum ipſo igni ineſſe. Item corpori ſanitatem ineſſe dicimus, uitam autem ſimul cum anima eſſe. Ergo ubi peculiaris & cõnaturalis atq; inſeparabilis communio eſt, ſignificantior uox eſt, quæ inſeparabilis cõſortij cogitationem ſuggerit intellectui. Contrà, ubi intelligitur accidere cuipiã ab illo gratia quæ & decedere poſſit, ſimiliter & hic proprie uereq; ineſſe dicitur, etiam ſi in ijs qui receperũt, ſępenumero propter affectus in bono perſeuerãtiam gratia illius permaneat. Proinde quoties peculiarem ſpiritus dignitatem intelligimus, cum patre & filio ipſum eſſe contemplamur. Vbi uero gratiam in ijs qui ſpiritus participes ſũt ſentimus, in nobis eſſe ſpiritũ dicimus. Et quæ à nobis defertur glorificatio ſpiritu, nõ habet profeſſionem dignitatis illius, ſed noſtræ ipſorum imbecillitatis confeſſionem, dum oſtẽdimus, quod nec idonei ſumus à nobis ipſis glorificare, ſed ſufficientia noſtra eſt in ſpiritu ſancto, in quo corroborati, ꝓ beneficijs acceptis deo noſtro gratias abſoluimus, iuxta quod à malitia purgati ſumus. Alius enim alio plus, aut minus, auxilio ſpiritus adiuuamur ad offerendum hoſtias laudis deo. Hoc pacto iuxta communẽ modum pie gratiarum actionem ſpiritui perſoluimus. At ſanè illud nequa-

quam leuis est momenti,ut aliquis de seipso testifice
tur,dicatq; Spiritus dei est in me, & per gratiã illius
sapiens factus,refero gloriã. Nam hæc uox Paulum
decet, Videor & mihi spiritũ dei habere. Et rursum,
2.Tim.1 Egregium depositum serua per spiritũ sanctum qui
habitat in nobis. Item de Daniele legimus,quod spi
ritus dei sanctus fuerit in eo . Et si quis illis adsimilis
sit uirtute. Alter autẽ intellectus est, nec ipse reiscien-
dus,quod sicut in filio uidetur pater,sic filius uidetur
in spiritu. Itaq; adoratio quæ fit in spiritu,animis no
stris uelut in lucem adductis uim suam suggerit , ut
discere licet ex his quæ Samaritanæ dicta sunt. Do-
minus enim adorationẽ quæ iuxta regionis illius cõ-
suetudinẽ erat usitata,sua doctrina abrogans, In spi
ritu,inquit,& ueritate oportet adorare:nimirum seip
sum appellans ueritatem. Quemadmodũ igitur in fi
lio dicimus adorationem, uelut in imagine dei ac pa
tris: sic & in spiritu dicitur, tãquam in seipso domini
diuinitatem exprimente:unde & in adoratione inse-
parabilis est à patre & filio spiritus sanctus,eo quod
si sis extra illum, nullo pacto sis adoraturus:cõtrà,in
illo si fueris, nullo loco seiungeris à deo,nihilo profe-
cto magis quàm lumẽ separabis ab his quæ uisui pa
tent. Impossibile siquidem est cernere imaginem dei
inuisibilis, nisi in lumine spiritus . Etenim qui intuet
imaginem,hunc impossibile est lumẽ ab imagine se-

pa

parare. Quod enim ut uideas in cauſa eſt, id neceſſe eſt, ut ſimul cum his quæ cernũtur, uideat. Itaq; proprie & congruẽter per illuminationẽ ſpiritus uidetur ſplẽdor gloriæ dei. Per characterẽ autem ad eum cuius eſt character, & eiuſdẽ figuræ ſignũ ſubuehimur.

Vnde initiũ habeat ſyllaba Cum, & quã uim habeat, ubi & de eccleſiæ legibus nullo ſcripto proditis. Cap. XXVII

QVAM ob cauſam, inquiunt, quũ proprie conueniat hæc ſyllaba In, ſpiritui: ac nobis ad exprimẽdum quemuis de ſpiritu intellectum ſufficiat, uos nouam iſtam ſyllabam induxiſtis, qui dicitis, Cum ſpiritu, non In ſpiritu ſancto, alioqui nec neceſſarijs, nec ab eccleſia probatis uocibus utentes? Quod igitur hæc ſyllaba In, ſpiritui ſancto nõ in ſortem proprie ceſſit, ſed patris filijq; communis eſt, in ſuperioribus dictum eſt. Arbitror autem & illud ſatis demonſtratũ, quod In, non ſolũ nihil detrahit dignitati ſpiritus, uerũ etiam ad ſummam celſitudinem erigit cogitationes eorum qui nõ prorſus mente corrupti ſunt. Supereſt autem differere de ſyllaba Cum, unde cœperit, & quã uim habeat, & quatenus ſcripturæ concordet. Dogmata quæ in eccleſia prædicãtur, quædam habemus è doctrina ſcripto prodita, quædam rurſus ex apoſtolo-

rum

rum traditione, in myſterio, id eſt, in occulto tradita recepimus. Quorũ utraq; parem uim habent ad pietatem, nec his quiſquam cõtradicit, quiſquis ſanè uel tenuiter expertus eſt, quæ ſint iura eccleſiaſtica. Nã ſi conſuetudines quæ ſcripto proditæ non ſunt, tanquã haud multum habentes momenti conemur reiícere, imprudentes & ea dãnabimus quæ in euangelio neceſſaria ad ſalutem habẽtur, imò potius ipſam fidei prædicationẽ ad nudũ nomen contrahemus. Quod genus eſt, ut eius quod primũ eſt & uulgatiſſimum primo loco cõmemorẽ: ut ſigno crucis eos qui ſpem collocarunt in Chriſtum ſignemus, quis ſcripto docuit? Vt ad orientem uerſi precemur, quæ nos docuit ſcriptura? Inuocationis uerba quum oſtẽditur panis euchariſtiæ & poculum benedictionis, quis ſanctorum in ſcripto nobis reliquit? Nec enim his contenti ſumus, quæ commemorat Apoſtolus aut Euangelium, uerum alia quoq; & ante & poſt dicimus, tanq; multum habentia momenti ad myſterium, quæ ex traditione citra ſcriptũ accepimus. Conſecramus autem aquam baptiſmatis, & oleum unctionis, præterea ipſum qui baptiſmum accipit, ex quibus ſcriptis? Nonne à tacita ſecretaq; traditione? Ipſam porrò olei inunctionẽ, quis ſermo ſcripto proditus docuit? Iam ter immergi hominem, unde eſt traditum? Reliqua item quæ fiunt in baptiſmo, ueluti renunciare

Conſecratio baptiſmatis

ſata

ſatanæ & angelis eius, ex qua ſcriptura habemus? Nonne ex priuata & arcana hac traditione? Nonne ex doctrina, quam patres noſtri in ſilentio, quod curioſos & ocioſos ſubmouet, ſeruarunt? Pulchre quidem illi nimirum docti arcanorum uenerationem ſilentio cõſeruari. Nam quæ nec intueri fas eſt non initiatis, qui cõueniebat horum doctrinam publicitus circunferri ſcripto? Aut quid tandem ſibi uoluit magnus ille Moſes, qui nõ omnia quæ erant in templo paſſus ſit omnibus eſſe perũia, ſed prophanos extra ſacros cancellos ſtatuit. Sed priora atria purioribus permittens, Leuitas ſolos dignos cẽſuit numinis miniſterio: mactationes autem & holocautomatũ oblationes, reliquũq; miniſteriũ ſacerdotibus aſſignauit: atq; unum ex omnibus ſelectum in adyta recepit: ac ne id quidem ſemper, ſed uno tantum die quotãnis: rurſus & huius diei certam horã qua fas eſſet ingredi, præſtituit, quo propter nouitatẽ & inſuetudinem, cum ſtupore intuerent̃ ſancta ſanctorũ: probe ſciens pro ſua ſapientia, res uſu tritas & undecunq; parabiles, expoſitas eſſe contemptui: cæterum ei quod ſepoſitum eſt, quodq; rarum eſt, huic natura coniũctam eſſe ſummam admirationẽ ac ſtudium. Ad eundem profecto modũ, & qui in primordijs eccleſiæ certos ritus præſcripſerũt, apoſtoli & patres, in occulto ſilentioq; myſterijs ſuã ſeruauere dignitatẽ. Neq; enim

omnino mysterium est,quod ad populares ac uulgares aures effertur. Hæc est ratio quur quædam citra scriptum tradita sunt, ne dogmatū cognitio propter assuetudinē uulgo ueniret in contemptum. Aliud autem est dogma,aliud edictum. Nam dogmata silentur,edicta uero publicantur. Est autem silētij species etiam obscuritas qua utitur scriptura, mētem ad contemplationem dogmatum inhabilem exercens,idq; ad utilitatem in scripturis uersantium. Hanc ob causam omnes spectamus ad orientē quum precamur. Pauci tamen nouimus,quod id facientes antiquā requirimus patriam,uidelicet paradisum,quem conseruit deus in Eden ad orientem. At in prima sabbati erecti perficimus deprecationes,sed rationē non omnes nouimus. Non solū enim quod ueluti simul cum Christo resuscitati,quæ sursum sunt quærere debeamus, in die resurrectionis datæ nobis gratiæ stando precantes nosmetipsos cōmonefacimus, sed quod is dies uideat aliquo modo imago uenturi seculi. Eoq; quum sit principium dierum,nō primus à Mose,sed
Gen.1 unus appellatus est. Facta est,inquit,uespere & mane dies unus: tanquam qui sæpe recurrat,ut unus sit idem & octauus, unum illum singularem ac uerum octauū, cuius Psalmista alicubi in psalmis meminit, per se significans,diem inquam post horum temporum statum nunquā finiendum,ac uesperæ nescium,

nec

nec ſucceſſori cedẽtem,hoc eſt æternitatem, quæ nec finem habet, nec ſenium nouit. Neceſſariũ igitur in hoc die eccleſia ſuos alumnos docet,ſtantes abſolue re preces ſuas,ut aſſidua cõmonitione uitæ illius nunquam deſituræ,nõ negligamus ad eam demigrationem parare uiaticum. Quin & totũ tempus uſq; ad pentecoſten,admonitio eſt reſurrectionis quã in illo ſeculo expectamus. Nam unus ille,& primus dies ſeptiesmultiplicatus,ſeptem ſacræ pentecoſtes hebdomadas abſoluit. A primo enim incipiẽs,in principiũ deſinit,per ſimiles qui in medio intercedũt dies quinquagies euolutus. Vnde & æternitatem ſimilitudine refert,dum uelut in motu circulari, ab ijſdem orſus ſignis in eadem deſinit. In quo corporis erecto habitu precari potius nos eccleſiæ ritus docuerunt,nimirum per euidentem commonitionem quaſi transferentes mẽtem noſtram à præſentibus ad futura. Inſuper & quoties genua flectimus, & rurſus erigimur, ipſo facto oſtẽdimus,quod ob peccatum in terram delapſi ſumus,& per humanitatẽ eius qui creauit nos,in cœlum reuocati ſumus. Deficiet me dies,ſi eccleſiæ myſteria citra ſcriptũ tradita pergam recenſere. Omitto cætera, ipſam fidei profeſſionẽ, qua credimus in patrem & filium & ſpiritũ ſanctum,è quibus habemus ſcriptis? Etenim ſi quoniam ex baptiſmi traditione, iuxta pietatis congruentiam, ut baptizamur, ita credere

dere debemus,ſimilem baptiſmo profeſſionem exhi bemus: concedant nobis,ut iuxta eandē conſequen/ tiam ſimiliter glorificemus deū ut credimus. Quod ſi glorificandi modum,ueluti ſcripto non traditū reiſ ciunt,proferant nobis & fidei profeſſionis & cætero/ rum quæ cōmemoramus probationem è ſcripturis. Et poſtea,quum tam multa ſint quæ ſcripto prodita non ſunt,& tantum habent momēti ad pietatis my/ ſterium, unicā dictiūculam quæ à maioribus ad nos deuenit,non cōcedunt:quam nos ex inaffectata con ſuetudine, inter incommutabiles eccleſiarū ritus per/ manentem inuenimus,haud mediocrē rationem ha bentem, neqꝫ mediocrem perfectionem ad myſteriſ uim adferentem . Dictum eſt igitur eādem eſſe uim utriuſqꝫ proloquiſ.Dicetur autem & rurſum ubi con cordent inter ſeſe,ubi differant:non quod inter ſe pu gnent per contrarietatē,ſed quod utraqꝫ peculiarem adferat intellectum ad pietatem.Siquidem præpoſi tio In,magis denotat dei ſocietatē nobiſcum: at præ poſitio Cum, exprimit communionem ſpiritus cum deo. Eoćꝫ uocibus ambabus uſi ſumus,altera quidē dignitatem ſpiritus exprimētes, altera gratiam quæ nobis ab illo eſt,declarātes . Ita in ſpiritu & gloriam offerimus deo,etiā cum ſpiritu, nihil ex nobis dicen/ tes,ſed uelut è regula dominicę doctrinæ,ad ea quæ iuncta ſunt,ſibićꝫ inuicem cohærent,ac myſteriſs ne

ceſſa

ceſſariam unionem habẽt, dictionem transferentes. Nam quod in baptiſmate connumeratũ eſt, neceſſario iudicamus & in fide oportere copulari. Profeſſionem autem fidei, uelut initium quoddã glorificationis fecimus. Sed quid faciendum eſt? Nunc enim doceãt nos, ne baptizemus quemadmodũ accepimus, aut ne glorificemus quemadmodũ credidimus. Demõſtret aliquis, aut non eſſe neceſſariam & indiuulſam horum inter ſe conſequentiam, aut in hiſce nouitatem non eſſe totius deſtructionẽ. At non deſinunt iſti ſurſum deorſum iactare, dei cũ ſancto ſpiritu glorificationẽ carere teſtimonio, carere ſcriptura, & alia huiuſmodi. Dictum eſt igit̃ nihil referre ad ſenſum ſiue dicas Gloria patri & filio cũ ſpiritu ſancto, ſiue dicas Gloria patri & filio & ſpiritui ſancto. Non igitur fas eſt cuiquam ſyllabam Et, ex ore domini profectam reiĳcere, aut aliter ſcribere: nec quicquam uetat alterã quæ idem pollet, recipere: quæ quomodo cum illa uel conueniat uel diſcrepet, ſuperius demonſtrauimus. Confirmat autem rationem nobis Apoſtolus indifferenter utraq; uoce uſus, interdum ita loquens, In nomine domini Ieſu Chriſti, & in ſpiritu dei noſtri: & rurſus, Congregatis uobis & meo ſpiritu cum uirtute domini noſtri Ieſu: nihil intereſſe ratus ad nominum coniunctionem, ſiue utaris coniunctione, ſiue præpoſitione.

Gloria patri

1. Cor. 5

Quod quæ de hominibus dicit ſcriptura tanquã unà cum Chriſto regnantibus, eadem de ſpiritu dici non concedunt aduerſarij. Cap. XXVIII

VIDEAMVS ſi quam excuſationẽ patribus noſtris ſuper huiuſmodi uſu poſſimus excogitare. Nam qui nobis ita loquẽdi fuerũt autores, magis quàm nos hærent in crimine. Paulus igitur Coloſſenſibus ſcribens: Et uos, inquit, quum eſſetis mortui delictis ac
cap. 2 pręputio, uiuificauit ſimul cum Chriſto. Num igitur toti populo & eccleſiæ donauit deus uitam, quæ eſt cum Chriſto, ſancto autem ſpiritui non eſt uita cum Chriſto? Quod ſi iſtud uel animo cõcipere impium eſt, an non pium eſt profeſſionem ut natura coniuncta eſt, ita coniũctim perſoluere? Ad hæc, an non extremi ſtuporis eſt, fateri ſanctos eſſe cum Chriſto: ſiquidem Paulus peregrinans à corpore, præſens eſt apud dominum, ac reſolutus iam eſt cum Chriſto: iſtos uero ne id quidem ſpiritui qui in eos uenit tribuere, ut ſic cum Chriſto ſit, quemadmodũ ſunt homines. At Paulus ſeipſum dei cooperarium appellat in adminiſtratione euãgelij. Sed ſpiritum ſanctum, per quem in omni creatura quæ ſub cœlo eſt fructificat euangelium, ſi cooperarium appellemus, impietatis nos reos peragent? Et, ut uidetur, uita ſperãtium

in

in domino abſcõſa eſt cum Chriſto in deo, quumq; Chriſtus apparuerit uita noſtra, tunc & ipſi cum eo manifeſtabuntur in gloria: ipſe autem ſpiritus uitæ qui liberauit nos à lege peccati, nequaquam eſt cum Chriſto, neq; in uita latente & abſcondita cum illo, neq; in illuſtratione gloriæ, quam nos in ſanctis patefaciẽdam expectamus. Hæredes dei, & cohæredes Chriſti nos ſumus, ſpiritus uero exhæres eſt & alienus à cõmunione dei & Chriſti eius. Et ipſe quidem ſpiritus teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro, quod ſimus filij dei. Nos uero ſpiritui, ne eius quidem ſocietatis quam illi cum deo eſſe à domino didicimus, teſtimonium præbemus? Porrò quod eſt amentiæ caput, nos per fidem in Chriſtum quæ eſt in ſpiritu, conſurrexiſſe cum illo, & ſimul cum illo ſeſſuros eſſe in ſupercœleſtibus ſperamus, quum transformauerit corpus humilitatis noſtræ, ab animali ad ſpirituale: ſpiritui uero non conſeſſum, non gloriam, non aliud quicquam eorum quæ ab ipſo habemus, impartimus? & quibus nos eſſe dignos, iuxta donum eius qui promiſit haudquaquam uanum, credimus: horum nihil ſpiritui, quaſi ſuperẽt illius dignitatem, concedimus. Et tibi quidem iuxta dignitatẽ licet ſemper eſſe cum domino: & expectas, ut raptus in nubibus in aërem, ſemper ſis cum domino: ſpiritũ autem nunc eſſe cum Chriſto negas, ut qui illum cõmemo-

ret

ret computetq; patri & filio,in exiliũ agas,ueluti qui impietatẽ non ferẽdam admiserit. Pudet reliqua adiungere,quod tu quidem expectas fore,ut cum Christo glorificeris:nam simul affligimur,ut simul glorificemur: spiritum autem sanctificationis nõ glorifices simul cum Christo, ut pari saltem tecum honore digneris: & tu quidem speras te conregnaturum, spiritum uero gratiæ afficis contumelia,serui famulicq; loco illi assignans. Atq; hæc dico,non ut ostendam tantundem honoris deberi spiritui in glorificatione, sed ut illorum demẽtiam redarguam, eorum qui ne hoc quidem illi cõcedunt, sed uelut impietatem horrent, in gloria spiritus consortium cum patre & filio. Quis potest hæc absq; gemitu commemorare? An non adeo manifestum est, ut uel puer intelligat,hæc quæ nũc fiũt,esse procœmia defecturæ fidei, id quod minatus est dominus. Quibus contradici fas non erat, ea facta sunt ambigua. Credimus in spiritum & nostris ipsorum professionibus repugnamus. Baptizamur, & rursum pugnamus. Vt uitæ primarium ducem inuocamus,& ut conseruum despicimus. Cum patre & filio spiritũ accipimus, & eum ut creaturæ partem cõtemptui habemus. Quid autem orabunt isti, qui quum nesciant an aliquid magnificum uel loqui prouocentur à spiritu,tamen tanquam asse qui possint dignitatis modũ,quod in dictis nimium

est

est, castigant, quos oportebat suam deplorare infirmitatem: quoniam pro his quæ facto accepimus, ne uerbis quidem agere gratias sumus idonei. Excellit enim omnem intellectum, omnemq; rationis naturam refellit, quum ne minima quidem ex parte spiritus dignitatem adæquet: iuxta sermonẽ libri, qui inscribitur Sapientia, Exaltate, inquit, quantumcunq; potestis, superat enim adhuc, & exaltantes eam multiplicate. Nolite laborare, nõ enim assequemini. Profecto metuẽdum est uobis, ne pro istiusmodi sermonibus horribiliter accusemini, qui à deo mentiri nescio audistis, irremissibilem esse blasphemiam aduersus spiritum.

Enumeratio eorum qui celebres in ecclesia, in scriptis suis usi sunt hac uoce Cum. Cap. XXIX

SANE contra id quod dicunt, præpositionem Cum, & carere testimonio, nec in scripturis extare, illud dicimus: si nihil aliud est receptum absq; scripturis, ne hoc quidẽ recipiatur: sin plurima arcana citra scriptum recepta sunt nobis, cum alijs pluribus & hoc recipiamus. Arbitror autem apostolicum esse, etiam non scriptis traditionibus inhærere. Laudo, inquit, uos, quod omnia mea meministis, & quẽadmodum 2. Thess. 2

tradidi uobis,traditiones obtinetis quas accepistis,si ue per sermonem,siue per epistolam. Quarum maxi me una est, & hæc de qua nũc agimus,quam qui ab initio perscripserunt,tradiderunt́ꝫ posteris,usu sem per simul cum tempore progrediente,per longã con suetudinem ecclesijs irradicarunt. Ergo si apud tribu nal probationibus è scripto destituti, multos uobis testes produceremus,nonne sentẽtiam absoluentem à uobis cõsequeremur? Ego quidem arbitror, In ore siquidẽ duorũ ac trium testiũ stabit omne uerbum. Quod si etiã tẽporis diuturnitatẽ pro nobis facientẽ uobis euidenter ostẽderimus,an non uidebimur uo/ bis probabilia dicere, nõ posse litem istam nobis in/ tendi? Venerãda sunt enim uetusta dogmata,quod ob antiquitatẽ ceu caniciem quandam,habeãt quid/ dam reuerendum. Enumerabo itaꝙ uobis huius ser monis autores. Simul autem æstimatur in eo quod tacetur,etiam tempus. Neꝙ enim ex nobis primum cœpit impetus. Qui potuit? nos quidem reuera he/ sterni sumus,quemadmodum dicit Iob,sanè ad tam longum tempus huius consuetudinis æquale. Ipse quidem,si quid de me proprie loquẽdum est,uocem hanc tanquam hæreditatem paternam conseruo,ac/ ceptam à uiro multo temporis in seruitio dei uersa/ to, per quem & baptizatus sum, & ecclesiæ minis/te/ rio admotus. Cæterũ quum apud me reputo si quis

uete

ueterum ac beatorum uirorum, his quibus nunc re/
clamatur uocibus usus sit: multos reperio quibus an/
tiquitas fidem conciliat, qui iuxta exactam eruditio/
nem, nõ iuxta horum temporum homines, quorum
alij præpositione, alij coniunctione in glorificatione
sermonem copulãt, statuerũt nihil referre, sanè quod
ad rectam attinet pietatis intelligẽtiam. Ireneus ille,
& Clemens Romanus, & Alexandrinus Dionysius,
id quod etiam auditu mirum est, in secũda ad sibi co
gnominẽ epistola, de accusatione ac defensione, hũc
in modum finit sermonem. Transcribam autem uo/
bis ipsa hominis uerba: His, inquit, congruenter &
nos, etiam forma regulaq; à senioribus qui ante nos
uixerunt, accepta, concordibus uocibus cum illis gra/
tias agere, ac nunc etiam uobis scribere desinemus:
Deo autem patri & filio domino nostro Iesu Chri/
sto cum sancto spiritu gloria & imperiũ in secula se/
culorum, amen. At hæc nequaquam dicere posset ali
quis à scriptoribus esse mutata. Neque enim ita ser/
monem produxisset, formam ac regulam se à maio/
ribus accepisse, dicens, Si in spiritu dixisset, huius
enim usus creber est, at illud erat quod egebat excu/
satione. Qui quidem & in medio scripti, sic alicubi lo
quit aduersus Sabellianos. Si eo quod tres sunt per/
sonæ, diuisas esse dicunt, tres sunt, etiam si nolint, aut
diuinum ternionem prorsus è medio tollant. Ac rur/

sum maxime diuina propter hoc, post unitatem, est trinitas. Sed & Clemens antiquior, Viuit, inquit, deus & dominus Iesus Christus & spiritus sanctus. Irenæus autem ille, qui uicinus fuit apostolorũ temporibus, quomodo mentionem spiritus faciat, disputans aduersus hæreses audiamus: Eos uero, inquit, qui effrenes deferuntur ad suas concupiscentias, nullum habentes diuini spiritus desideriũ, merito Apostolus carnales uocat. Et alibi dicit idem, Ne experites facti diuini spiritus, frustremur regno cœlorum.
1.Cor.15 Inclamat Apostolus, quod caro non possit hæreditatem capere regni cœlorum. Quod si cui Eusebius Palæstinus propter eruditionem uariam idoneus uidetur cui habeatur fides, & ex illo uoces easdem ostendimus, in dubitationibus de priscorum multiplici coniugio: loquitur enim hunc in modum, exhortans seipsum ad uerba prophetarum: Sanctum deum lucis actorem per seruatorem nostrum Iesum cũ sancto spiritu inuocantes. Iam uero & Origenem multis in locis expositionum quas in psalmos ædidit, deprehendimus, cum sancto spiritu gratias agentem deo, uirum qui non omnino sanas habet in omnibus de spiritu opiniones: nihilominus & hic reuerentus consuetudinis robur, pias uoces emisit de spiritu, qui quidem in sexto ni fallor libro Enarrationum in euangelium Ioannis, etiam adorãdum spiritum euiden

Eusebius

denter pronũciat,ita ſcribens ad uerbum: Quoniam aquæ lauacrũ ſignificat purgationem animæ ab omnibus maliciæ ſordibus ablutæ,nihilo tamen minus & per ſeipſum,ei qui ſeipſum præbet diuinitati adorandæ trinitatis, per uirtutem inuocationum gratiarum principium ac fontem habet. Ac rurſus in Commentarijs, quibus exponit epiſtolam ad Romanos, Sacræ, inquit, uirtutes capaces ſunt unigeniti & ſancti ſpiritus deitatis. Ad hunc modum opinor,traditionis uis ſæpe cõpulit homines, etiam ſuis ipſorum dogmatibus contradicere. At nec Africanum hiſtoricum,talis glorificandi forma præterijt. Siquidem palàm eſt in quinta de temporibus epitoma, & ipſum ad hunc loqui modum. Nos uero qui & illorum uerborum menſurã didicimus,nec ignoramus fidei gratiam,gratias agimus ei,qui præbet noſtris patribus, omnium ſeruatorem ac dominũ Ieſum Chriſtum, cui gloria,maieſtas, cum ſancto ſpiritu in ſecula. At de cæteris fortaſſis dubitari poſſit, aut credi poſſint per intolerabilẽ audaciam à ſcribis immutata,quum in unica ſyllaba ſit diſcrimen. Verum quæ pluribus uerbis dicta citauimus,ea nec recipiũt inſidiarum ſuſpicionem,& ab ipſis libris paratum habẽt teſtimonium. Porrò quod alioqui fortaſſis humilius uidebitur,quàm ut in medium adducatur,ſed ei tamen qui de nouitate accuſatur, neceſſarium ad teſtificandum

temporis antiquitatem,hoc quoq; nunc adiȷciemus. Viſum eſt patribus noſtris, ueſpertini luminis gratiam haudquaquam ſilentio arripere,ſed mox ut apparuit agere gratias. Quis autẽ fuerit autor illorum uerborum,quæ dicuntur in gratiarum actione ad lucernas, dicere non poſſumus. Populus tamen antiquam profert uocem,neq; cuiquam unquã uiſi ſunt impietatem committere,qui dicunt, Laudamus patrem & filium & ſpiritũ ſanctum dei. Quod ſi quis etiam nouit Athenogenis hymnum, quem tãquam aggreſſorium diſcipulis ſuis reliquit, feſtinãs iam ad perfectionem quæ fit per ignem, is nouit & martyrum ſentẽtiam de ſpiritu. Et hæc quidem hactenus. Cæterum Gregorium Magnum, & illius uoces quo loco ponam? An non cum apoſtolis & prophetis,uirum qui eodem ſpiritu quo illi uerſatus ſit, quiq; ſanctorum ueſtigiȷs per omnem uitam inhæſerit, quiq; euangelicæ conuerſationis uigorem quamdiu uixit præſtiterit. Equidem illud dixerim, profecto iniuria afficiemus ueritatem,ſi non animam illam annumeremus iȷs qui deo iuncti ſunt, qui uelut inſignis magnaq; lucerna in eccleſia dei reſplenduit, qui è ſpiritus ope terrorem habuit aduerſus dæmonum poteſtatem. Nam tantam acceperat gratiam ad obedientiam fidei inter gentes,ut aſſumptis nõ plus ſeptemdecim Chriſtianis, uniuerſum populũ,& urbanum,

& rusticanum,per agnitionem adiunxerit deo.Ille & fluminum cursus in diuersum uertit, præcipiens illis in magno nomine Christi, & paludem exsiccauit, belli causam præbens fratribus auaris.Cæterũ prædictiones de futuris eiusmodi sunt, ut nihilo sit inferior cæteris prophetis. Sed omnino perlongum fuerit uiri percẽsere miracula,qui propter donorum excellentiam quæ in ipso operabatur spiritus, in omni uirtute, signis, ac prodigijs, ab ipsis etiam ueritatis hostibus alter Moses appellatus fuit. Intantum in illo in omnibus tum dictis tum factis, eorum quæ per gratiam peragebantur, ueluti lumen refulsit, supercœlestis uirtutis indicium quæ ex occulto assecta batur illum. Cuius & in hodiernum quoq; diem magna est apud eius regionis homines admiratio, recensq; ac semper uigens memoria sic infixa est ecclesijs, ut nullo tempore obsolescat. Itaq; non factum aliquod,non dictum,non figuram ullam mysticam, ultra quàm illis reliquit,ecclesiæ adiecerunt. Imò hic multa in his quæ apud illos agũtur in ritibus uidentur imperfecta, propter institutionis antiquitatem. Neque enim sustinebant qui in ecclesiæ administrationem successerant,additamẽta quæ post illum adinuenta sint recipere. Idem igitur fuit glorificationis modus, quem instituit Gregorius, & is cui nunc contradicitur, ex illius institutione ecclesiæ obser-

uatus

uatus. Haud multum sit negocij, ei qui se paulum excitarit, super his certitudinem accipere. Hanc fidem & Firmiliano nostro fuisse, testantur illius libri quos reliquit. Insuper & Meletium illum admirandum, in eadem fuisse sententia, narrant qui cum illo uixerunt. Sed quid opus est uetera commemorare? Imò nunc qui sunt Orientales, nonne hoc uno potissimum pie sentientes agnoscunt, hac uoce ueluti signo, suos ab alienis dijudicantes? Vt autem ego è quodam Mesopotamio audiui, uiro & linguæ eruditæ & mentis integræ, ne licet quidem illis, etiam si uelint, aliter sonare uocem eo loco receptam, sed necesse est illis, per uoces idē cum hac pollentes, iuxta quandam maiorum proprietatem glorificationē offerre. Quin & Cappadoces sic iuxta regionis morē loquimur, iam tum in linguarū diuisione, dictionū usum prouidente spiritu. Quid porrò Occidens totus, propemodū ab Illyrico usq; ad fines nostri orbis? Nonne per hanc uocem orat? Qui fit igitur, ut ego sim innouator, & recentiorū uerborum architectus? quum totas nationes, ciuitates, & consuetudinem omni hominum memoria uetustiorem, insuper & uiros ecclesiæ columnas, & omni scientia ac uirtute spiritus uenerandos, duces & autores huius uocis exhibeam? Ob hæc aduersus nos mouetur hostilis acies, omnesq; ciuitates, uici, & omnes extremi fines, pleni

sunt

sunt nos calumniantium uocibus. Molesta quidem hæc ac lugenda cordibus quærẽtium pacem: uerum quoniam est magna merces eorum, qui perseueranter pro fide sustinent afflictiones, præter hæc & gladius splendescat, & securis acuatur, & ignis ardeat, Babylonico illo uehemẽtius, & omnia suppliciorum instrumenta in nos moueant. Quod ad me quidem attinet, nihil arbitror formidabilius, quàm non formidare minas, quas dominus in spiritum blasphemias iacientibus intẽtauit. Igitur apud cordatos homines ad purgationem mei, sufficiunt hæc quæ dicta sunt, quod recipimus uocem adeo gratam & amicam sanctis, insuper & tam diutino usu comprobatam, quæ ex quo tempore est annunciatum euangelium usq; ad præsens, demõstratur in ecclesijs usitata fuisse, & quod est omnium maximũ, quæ pium ac religiosum habet sensum. Cæterũ apud magnum illud tribunal, quam nobis excusationem apparauerimus? Nimirum quod induxit nos ad gloriam spiritus, primum honos illi habitus à domino, in baptismate spiritum adiungente sibi & patri: præterea quod quisq; nostrum per talem initiationem ad dei cognitionem institutus est. Super omnia uero terror minarum, arcens omnem indignitatis & humilioris opinionis cogitationem. Aduersarij porrò quid tandem dicturi sunt? Quam blasphemię excusationem

adferent? qui neq; honorem quem dominus tribuit ſpiritui, reueriti ſint, nec minis illius deterriti. Iſtis quidem liberum eſt de ſuo cõſultare negocio, aut etiam mutare conſilium. Ipſe uero optarim, primũ ut deus bonus det ſuam pacem uincentem in cordibus omnium, ut iſti qui fremunt in nos, atrociterq; conglomerati inſurgunt, in ſpiritum lenitatis & charitatis, cõpeſcantur. Quod ſi prorſus ſic efferati ſunt, ut non poſſint manſueſcere, certe det nobis illorum facta toleranter ferre. In ſumma, qui condemnationem mortis in ſeſe habent, his moleſtum non eſt pro fide affligi, ſed maxime intolerabile eſt in ea non certaſſe, quãdoquidem athletis non perinde graue eſt in certamine plagas accipere, quàm omnino non admitti in ſtadium. Aut fortaſſis hoc erat ſilendi tempus, iuxta ſapientem Solomonem, Nam quid prodeſt reuera clamare aduerſus uentum, quum tempeſtas adeo uiolenta uitam occupet, à qua mens quælibet eorum, qui uerbo initiati ſunt, uelut oculus puluerulentia quadam, ex errorum ſeductione, oppleta, confuſa eſt: quælibet aures grauiſsimis & inſolitis ſonis obtunduntur, turbine uero circumaguntur omnia, ſuntq; in periculo ruinæ.

Expoſi

Expositio præsentis ecclesiarum status. Cap. XXX, & ultimum.

QVI igitur cõparabimus præsentem statũ? Profecto similis bello nauali, quod ex multo odio, ex ueteribus offensis inter ipsos per longum tempus alito, nau machi quipiam ac bellaces instituerunt. Nunc igitur in hac imagine mihi specta terribilem utrinq; concursum, mox ira iam eò erumpente ut sit immedicabilis, utramq; partem simul prostratam confici. Pone si uis uiolento turbine circumagi classem, caliginemq; densam è nubibus incumbere, adeoq; obscurare rerum uisibilium species, ut nulla sit amicorum & hostium discretio, propterea quod ob cõfusionem symbola militaria sint ignota. Huic imagini propter euidentiam addamus etiam mare intumescere, atq; ab imo subuerti, rapidumq; Aquilonem è nubibus deorsum erumpere, horribilemq; procellam ingentibus fluctibus, quos tricymias uocant, exurgere: post hæc uentis undiq; concursantibus, totam classem inter se cum fragore collidi: atq; in conflictu, alios quidem ueluti sui proditores ad ipsam desperationem ultrò transfugere, alios cogi, ut pariter & scaphas impellant à uentis actas, & occurrant irrumpentibus, se seq; mutuo præ seditione trucidẽt: quam seditionem Celeuma

partim iam ad extremum prouecta inuidia, partim quæ singulis adest uincendi cupiditas excitauit. Ad hæc cogita confusum quendam & indiscretũ clamorem, per uniuersum illud mare resonantem, partim è uentorum strepitu, partim è collisione nauium, partim ex undarum impetu ferúentium, partim ex uociferatione præliantium uarias uoces pro singulorum affectibus emitti, ut neq; naucleri, neq; gubernatoris uocem exaudire liceat, sed prodigiosam quandam mixturam confusionemq; incredibilium malorum, dum ob omnem uitæ spem ereptam, prorsus non timent peccare. Adijce ijsdem & immedicabilẽ quendam morbum, ac insanabilem præ glorię cupiditate insaniam, ut qũũ nauis iam in fundum maris deferatur, tamen nautici duces primam assequẽdi laudem contentionem non remittant. Transi iam ab imagine, ad ipsum mali archetypum. An non iam olim uidebatur Arianum schisma, in aduersariam ecclesiæ dei partem separatum in hostium acie ipsum per se solum obstitisse. Verum posteaquàm è longa atrociq; contentione, usque ad manifestum certamen in nos instructi sunt, tum deniq; bellum in multas partes iuxta modos innumerabiles dissectum est, ut partim ob publicam simultatem, partim ob peculiarem suspicionem omnibus odium irreconciliabile esset. Hæc uero tempestas ecclesiarum, qua tandem ma-

rina

rina procella non est atrocior? In qua ut tota patrum ditio commota fuit, ita omne fundamentum, & si quod dogmatum munimentum conuulsum est. Voluuntur insuper & quassantur omnia, putri basi innitentia, dumq; alij in alios uicissim impetum facimus, alij ab alijs subuertimur. Et si te prior non percusserit hostis, is qui auxiliatur, uulnerat. Quod si ille ceciderit ictus, comprotector insurgit. Tantum inter nos habemus societatis, quantum communi odio aduersarios prosequimur. Vbi porrò præterierint hostes eos, iam uidemus hostes inter ipsos esse mutuos. Hoc rerum statu quis enumerare possit naufragiorum multitudinem, uel eorum qui hostium impressione demerguntur, uel qui ex occultis sociorum insidijs occidunt, uel qui per imperitiam ducum pereunt, quum ecclesiæ unà cum ipsis hominibus hæreticorum dolis uelut sub aqua latentibus scopulis illisæ, perditæ sint. Alij uero ex hostibus salutiferi spiritus, qui gubernacula occuparant, circa fidem naufragium fecerint. Cæterum turbationes ab huius mundi principibus proficiscentes, an non quauis procella, quouis turbine horribilius subuertunt populos? Ecclesias uero, caligo quædam adeo tristis ac mœsta occupat, uidelicet luminaribus mundi, quæ deus posuerat ad illuminandas populorum

animas, domo profligatis. Porrò, immodica iam inter ipsos uincendi contentio, quum iam immineat terror, minitans internitionem uniuersi, admit mali sensum. Nam priuata simultas, plus est quàm commune publicumq; bellum, dum aduersarios uincendi gloria, præfertur publicæ omnium utilitati, quibus præsens temporariaq; gloriæ uoluptas, prior ac potior est, præmijs in posterum repositis. Eóque omnes pariter quocunque possunt modo parricidiales manus sibi inuicem adferunt. Acerbus autem quidam clamor eorum, qui per contentionem inter se disceptant, confusaq; uociferatio, & indistinctus sonitus è nunquam silentibus tumultibus, totam propè iam ecclesiam impleuit, per excessus ac defectus rectum pietatis dogma subuertentibus. Nam alij quidem ad Iudaismum, ob personarum confusionem: alij contrà, ad paganismum per naturarum contrarietatem deferuntur: adeo ut nec diuinitus inspirata scriptura inter illos sequestram agere possit, nec apostolicæ traditiones illos inter se conciliare ualeant. Sed unicus amicitiæ finis, est ad gratiam loqui: ac sufficiens est inimicitiæ causa, opinionibus dissentire. Porrò, erroris similitudo, res est quauis coniuratione fidelior ad seditionis societatem. Theologus uero quilibet est

libet est, etiam si maculis innumerabilibus conscientiam habeat notatam. Hinc rerum nouatoribus multa copia simul adiuuantium seditionem. Itaque qui seipsos suis elegere suffragijs, quicꝫ affectant principatum, ij ecclesiarum præfecturas sortiuntur, repulsa sancti spiritus administratione: iamcꝫ prorsus euangelicis ritibus ob sublatum rerum ordinem confusis, ineffabilis est ad præfecturas irruptio eorum, quorum quisque se palàm ingerit ad dignitates, ui depulsis cæteris. Itaque grauis quædam anarchia, ab hoc principatus amore populos inuasit: unde irritæ sunt & ociosæ præfectorum exhortationes, dum nemo magis alteri auscultare, quàm alijs imperare debere, ob fastum ex inscitia conceptum existimat. Has ob res, silere utilius iudicaui, quàm loqui, tanquam hominis uox per tantos tumultus exaudiri non possit. Nam si uera loquutus est Ecclesiasticus, Verba sapientum in quiete audiri: plurimum abest, ut in hoc statu rerum de his loqui conueniat. Me uero etiam illud propheticum dictum reprimit, Intelligens in tempore illo tacebit: eo quod tempus malum est, in quo alij quidem supplantant, alij uero insultant lapso, alij uero dominantur: cæterum qui lapso manum ex misericordia porrigat, nullus

est. Atqui iuxta legem ueterem, qui uel iumentum inimici sub onere collapsum præterierit, non caret damnatione. Sed non itidem fit hisce temporibus. Qui nam fieret, quando refrigerata omnium charitate, sublata est fratrum conspiratio, concordiæ uero etiam nomen ignoratur. Sublatæ sunt autem etiam amicæ admonitiones. Nusquam uiscera humana, nunquam lachryma ex condolentia. Non est qui infirmum in fide suscipiat, sed tantum odium inter contribules exarsit, ut quisq; magis proximi ruina, quàm de propriis recte factis exultet. Quemadmodum in contagiis pestilentiarum, etiam ij qui summa cura seruant uictus rationem, tamen ijsdem morbis quibus ægroti laborant, dum ob consuetudinem eorum, qui corrupti sunt, opplentur & ipsi. Itidem nunc omnes similes inter nos facti sumus, à contentione, quæ nostros animos occupauit, ad malorum æmulationem redacti. Hinc implacabiles & amari sedent erratorum examinatores, iniqui uero & maleuoli recte factorum iudices, ac tantum ut uidetur, malum nobis insedit, ut etiam brutis facti simus bruttiores. Siquidem inter illa quæ sunt eiusdem generis in eodem armento pascunt: at nobis atrocissimum bellum est aduersus domesticos. Itaque

propter

propter has omnes cauſas ſilendum erat, ſed in di/
uerſam partem retraxit charitas,non quærens quod
ipſius eſt, ac uincere cupiens omnem temporum ac
rerum difficultatem. Quin & pueri qui fuerunt in
Babylonia docuerunt nos, etiam ſi nemo ſit qui pie/
tati ſuffragaretur, tamen per nos ipſos quod officij
noſtri eſt peragere, qui quidem ex incendio medio
canebant hymnos deo, haud reputantes multitudi/
nem aſpernantium ueritatem, ſed ſibi inuicem ſuffi/
cientes, quum eſſent tres. Quapropter ne nos qui/
dem deterruit hoſtium denſiſsima turba, ſed fixa
ſpe in præſidio ſpiritus, cum omni fiducia uirtutem
annũciauimus. Alioqui foret omnium miſerrimum,
eos qui conuicijs inceſſunt ſpiritum tam facile ad im
pie loquendum audaciam ſumere, nos uero qui ta/
lem habemus protectorem ac patronum,non aude/
re ſermonem ſuppeditare, qui ex maiorum traditio/
ne perpetua memoriæ ſerie ad nos uſque ſeruatus
fuit: magis tamen excitauit impetum noſtrum,igne
us charitatis tuæ non fictæ feruor, morumq; tuo/
rum grauitas,ac taciturnitas,quæ res ſpondebant fo
re, ut ea quæ dicturi eſſemus non prodirent in uul/
gus, non quod digna ſint quæ celentur, ſed ne mar/
garitæ proijciantur porcis. Et hæc quidem hacte/
nus. Quod ſi tibi de his ſatis dictum uidetur, ſit hic
ſermonis finis: ſin minus, nulla inuidia eſt, ſtudioſe

aſſi

assidentem inquisitioni, per interrogationem à con/
tentione alienam aliquid addere cognitioni. Dabit
autem dominus per nos & per alios, eorum
quæ desunt suppletionem, iuxta sci/
entiam quæ dignis submi/
nistratur à spi/
ritu.

FINIS

BASILEAE, IN OFFICINA FROBENIANA
PER HIERONYMVM FROBENIVM
ET NICOLAVM EPISCOPIVM
ANNO M D XXXII
MENSE MAIO

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-116747-p0144-6

pag. 9.	uerſu penultimo,	lege, tametſi ne his quidem
14	antepenultimo	probatur
26	13	ſed quẽadmodũ modo dicebã gratiæ uarietatẽ
28	antepenultimo	& ſi perfectam
55	12	tribus igitur demerſionibus
69	4	poſteriore loco
73	12	à creaturarum natũra
80	penultimo	declarant
83	10	taliter
87	1	pariter atq; ille
100	12	ſanctus item & domicilium dicitur, ſpiritui ſeipſum præbens, &c.

FRO BEN.

44 19/16

X 220 1158

56.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-116747-p0148-9

Ars mun

DIVI

MAGNI EPISCOP

dociæ, opus argutũ

ad Amphilochi

ROTERC

Nunc primur

FR

BASILEAE,

Cum priuilegi

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-116747-p0149-8